




His Egò nec metas rerum, nec tempora pono:
Imperium sine fine dedi.
A. Bloem del.
Tob. Sadler sculp.


BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE


BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

VIRTVS CORONATA,

SEV

CORONARVM

Illustrata Documentis & Exemplis


IMPERATORVM, ac REGVM

EX AVGVSTISSIMA ET SERENISSIMA

DOMO AVSTRIACA

ET

HISPANA



Primùm Hispano Idiomate conscripta

Per

R.P. JOAN: EUSEB: NIERENBERGIUM
è Societate JESU.

Postea Italicè per Comitem Horatium Corradinum, ac nunc latinè reddita

Per Alium de Societate IESU
Sacerdotem.



Cum facultate Superiorum.



VIENNÆ AUSTRIÆ,

Typis Joan: Bapt: Hacque, Typogr: Acad: 1675.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

VIRTVS CORONATA,

SEU

CORONARVM

Illustrata Documentis & Exemplis

IMPERATORVM, ac REGVM

EX AVGVSTISSIMA ET SERENISSIMA

DOMO AVSTRIACA

ET

HISPANA



Primùm Hispano Idiomate conscripta

Per

R.P. JOAN: EUSEB: NIERENBERGIUM
è Societate JESU.

Postea Italicè per Comitem Horatium Corradinum, ac nunc latinè reddita

Per Alium de Societate IESV Sacerdotem.




Cum facultate Superiorum.



VIENNÆ AUSTRIÆ,

Typis Joan: Bapt: Hacque, Typogr: Acad: 1675.

REVERENDISSIMO
AC CELSISSIMO
PRINCIPI,
AC
DOMINO DOMINO
GEORGIO
SZELEPCHENII,




ECCLESIÆ METRO-
POLITANÆ STRIGONIENSIS
ARCHIEPISCOPO,

LOCIQVE AC COMITATVS
EJVSDEM SVPREMO ET PERPETVO
Comiti, Primati Regni Hungariæ Legato nato,
Summo & Secretario Cancellario, Sac. Cæſ. Re-
giæq; Majeſtatis intimo Conſiliario, nec non per
dictum Regnum Hungariæ Locum-
tenenti. &c.

DOMINO DOMINO
GRATIOSISSIMO

):(Viſum







Isum fuit *Celsitudini Tuæ, Reverendissime & Celsissime Princeps* præsens opusculum Viri ab eruditione ac pietate celeberrimi Joannis Eusebii Nierembergii, ut cætera ejusdem opera, minimè privatis peregrinarum tantummodò linguarum limitibus debere concludi. Latebat illud primùm ad Europæ fines, inter angustias Hispani idiomatis: Protraxit in theatrum Italiæ Vir Illustrissimus, Comes Hora-

tius



tius Corradinus: Nunc in publicam, totique mundo communem lucem Latini sermonis eluctatum, sinus literatissimæ, amantissimæque literatorum mentis *Celsitudinis Tuæ* gratiæ promptè excepit. Suscepti consilii non unam esse rationem auguror. Maximorum in Orbe Principum memoriæ ac reverentiæ *Princeps* hoc dedit; hoc contulit Virtutum heroicarum theatro *Primas Ecclesiasticus*: hoc exemplo ad imitationem efficacissimo donavit *Pastor animarum Metropolita*, quando nihil æquè proficit ad

 seque-



ſequelam, quàm Primi Mobilis anteceſſus, hoc eſt, ſummorum Principum actiones præviæ: Hoc decrevit meritiſſimo encomio vivacisſima recordatio, Eorum imprimis, quorum auſpiciis gloriosè in regiorum laborum partem *Celſitudo Tua* aliquando aſſumpta; atque in Honoris hunc apicem Prudentiâ, & Conſilio, Conſtantiâ, & Fide ſuffragantibus exinde ſubvecta eſt: *Rudolphus II.* Majores *Celſitudinis Tuæ* amplisſimo diplomate collaudavit: *Ferdinandus II.* opimis ab Italia ſapientiæ cum

ſpoliis



ſpoliis revertentem, muneribus per Hungariæ Regnum ſpectatiſsimis applicuit: *Ferdinandus III. & Leopoldus* meritis in Rempublicam clariſsimis indies auctum ſummo ſtatûs Eccleſiaſtici ac Civilis honore coronaverunt. Itaque deberi ſe ſcivit *Celſitudini Tuæ* Virtus Coronata, & Coronarum: Illa, quam ex laudatiſsima Regum ac Cæſarum imitatione, laureis & ipſe, ac corollis multiplicibus incinxiſti: Iſta, ut auſpicio Nominis Tui facta palàm, vel exemplo Tuo accendat ad ſequelam; ſecuturis de terra ac

coelo



cœlo vicissim & constanter adoreis coronandam. Prælibasti jam in terris suavissimos fructus Heroicæ Virtutis, quos gratulamur animitùs addictissimi. Parùm dixi, si non etiam spondere ausim, quæ aliundè nequaquam obtingit, quàm à virtute, beatam olim immortalitatem. Vive *Reverendissime ac Celsissime Archi-Præsul* Ecclesiæ, & Regno Apostolico quàm diutissimè felix.

CELSITUDINIS TUÆ

Devotissimus

J. F. S. J.

INDEX CAPITVM, ET PARAGRAPHORVM.

PARS I.

§. XI.

PARS II.

§. XVII.



VIR-



VIRTVTIS CORONATÆ.

§. I.

Muneris Regij eminentia requirit Principem Virtutibus deditum.



T virtutum, quæ Principem decent; emolumenta cognoſcantur; expendenda primùm eſt gravitas muneris Imperantium, obligatio ſtatus, occupationum ſcopus. His probè perſpectis ſtatim animo Principis occurret juſtus timor damnorum, quæ ejus vitio, ex neglecta prædictorum attentione in populo poſſent evenire. Quibus malis aditum omnem præcludet ipſe virtuti deditus; ſaltem ea ex parte, quâ muneris ſui rationem accuratè expenſam cum adminiculo virtutum ſedulò exequetur. Agrippina Neronis Mater, ut â perdita prodigalitate filium averteret, magnam vim pecuniæ profundi ſuper menſam juſſit, quâ inſpectâ erudiretur ille, quantæ foret jacturæ, tantos aceruos inſanè prodegiſſe

giſſe. At extenuatio fiſci non eſt ea regnorum peſtis, ut pernitioſius non interdum ferant exitium ab intermiſſis à principe curarum, mnneriſque proprij conſiderationibus, ac functionibus. Quare ut virtutis ſtudia commendem, officij regij eminentiam, ac pondus propono, cui benè, laudabiliterque adminiſtrando magnus virtutum comitatus, ut ſuccurrat, eſt neceſſe.

Temporibus Ludovici, ac Lotharij Imperatorum in Aquisgranenſi, Moguntino, ac Pariſino Concilijs Eccleſiaſticis complura ſancita ſunt, quibus Reges occupari pro muneris ſui ratione conveniat. Decernebatur, ut moderator Chriſtiani populi Princeps in Sanctitate, & Juſtitia imperaret, paci, atque concordiæ ſtuderet: Eccleſiam Dei defenderet: ſacras ædes, earumque miniſtros protegeret: curam viduarum, ac pupillorum ageret: neceſſitatibus indigentium ſubveniret: curaret, ne locus injuſtitiæ eſſet, ne patrocinium improbitati, ne ſpes impunitatis ſceleri: ne incentivum audaciæ: ne niſi certum ſupplicium delicto foret. Ideo, ajebant, Regem adorari à throno, ut vicariâ voce Numinis recta decernat: ut diſponat, provideatque ipſe, ne deficiat æquitas: ne per ſubordinatorum tribunalia Veritas obſcuretur: ut credat in officio ſibi cælitùs commiſſo non agi cauſas hominum, ſed Dei; cui rationem pro geſtis reddere

dere tandẽ in morte oporteat: demùm ut ad Regẽ recursus sit pauperum, quibus aures nunquam non pateant, si fortè per injuriam, negligentiamque ministrorum opprimerentur. Hæc Conciliorum dictamina primùm Francia excepit, firmavitq; deindè Germania repetitis sanctioribus, atq; ijsdem penè verbis Hispania complexa est. Nec immerito; Rex quippe pro ratione officij est tutela pupillorum, ac viduarum, pauperum pater, custos justitiæ, vindex pacis, tanquam boni in Republica optimi. Hæc illa est munificentia, quâ Rex privatorum quorumvis liberalitatem transcendit. Beneficus in myriades capitum quotidie, si bonus est; ut injurius in totidem, si malus. Tanta in munere regio ex virtute à principe culta claritas. Affirmabat Julius II. Pontifex; Sapientiam in homine vulgari argentum esse, gemmam in Principe: Pro virtute accommodatiùs fuisset locutus; quam in cæteris huminibus pretio carere nemo dixerit, ut argentum: at in viro Nobili comparabitur auro, in Principe superexcedet gemmas, vincet adamantes, singularior erit unionibus. Ita nemo non opulentus, ac felix, qui virtuosus: subscribit Xenophon (lib. 7. Cyr.) *Nullas homini cuivis, ac præcipuè ei, qui in alios Imperium habet, opes existimo pulchriores, & honestiores, quam virtus sit.*

Doctrinam Conciliorum repræsentantium munus Regium prævénit pulcherrimis documentis,

 olim

olim Idumeæ Rex, postea patientissimus Job, qui abs se gesta in officio Principis luculenter describit (cap. 29.) *Quod liberasset pauperem vociferantem & pupillum, cui non erat adjutor. Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum; justitia indutus sum, & vestivi me sicut vestimento, & diademate judicio meo. Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum, & causam, quam nesciebam, diligentissimè investigabam. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.*

Regia dignitas non otij est theatrum, sed curarum. Est supplementum defectibilitatis humanæ: est oculus cæco, manus manco, pes claudo, robur infirmo, spes orphano, præsidium viduæ, subsidium indigenti: solamen universorum, justitiæ ara, charitas in omnes diffusa. Hinc singulorum ad unum justa inclinatio, & amor; tantò eviseratior, quantò universali in omnes providentia divinitatem, cujus vices sustinet, operando repræsentat. Iurisdictio, quam populus confert; authoritas, quàm communis veneratio impartitur; tributa, in quæ confluunt sudores vulgi; non serviunt regio honori, divitijs, ac commodo; nisi ad compensam beneficentiæ, quam aut capiunt, aut sperant omnes ab administratione muneris in æquitate, subsidio, ac defensione Reipublicæ collocati. Affectus, & reverentia populorum, non nisi sunt gratiæ

gratiæ redditæ, pro bene meritis Imperantis. Prima institutio Principum, non ut dominentur fuit, sed ut serviant communitati. Successit præcipiendi indulta facultas, sine qua regalis officij executio frigeret. Conditio regnandi nobilis servitus est: ajebat Antiochus. Ut servire Deo, regnare est; sic regnare in populo, est servire. Subjiciunt se imperantibus gentes commodo suo, non Principis. Isti earum conductitiæ tantùm operæ sunt. Quidquid tributorum, ac vectigalium eviscerant, mutua tantummodo est provocatio beneficiorum, à Principe in commune conferendorum: Officium regale est impensa ingentium solicitudinum, laborum, adeoque etiam virtutis exaggeratæ, atque exinde commodorum, quæ redundent in Rempublicam, maximorum. Audiatur Synodus Parisina (l. 2. cap. 1.) Ecce quæ conferat emolumenta Rex bonus. Est ille regnorum tranquillitas, tutela patriæ, securitas plebis, robur populi, medela languentium, solamen omnium. Est ille, qui temperiem äeri, Alcyonia pelago, fertilitatem agris conciliat: qui allevat egenos, qui hæreditates filiorum locupletat, qui delibare facit in vita mortali futuræ beatitudinis dulcores. *Humanæ felicitatis principia, & origines* dixit esse Principes virtuti deditos Concilium Ephesinum (l. 1. c. 4.) Virtutum itaque magnitudo exequendo muneri regio apprimè opportuna est. A principe dimanat

nat felicitas in subditos, à virtute in Principem. Utrinque pessimè, ubi virtus labascit. Regno Princeps, ut corpori cor, ut mundo sol; ut iste lucem & calorem in sublunaria, ita Rex tranquillitatem, æquitatem, & felicitatem in subditos influit. Non est bene corpori, cui cor languet: colliduntur invicem membra, alterantur. Ægritudo cordis armat dentes in manum; ungues acuit in vultum, caput in partes divellit, hominem homini eripit. Par ruina regnis, quibus â capite, volo dicere, â Principe, spiritus virtutis vitalis non succurrit. Iret in umbras mundus, si soli activa vis lucis periret, si segnior euigilaret ab ortu, si tepidior remitteret â radijs, si â revolutionibus consuetis, ut ab officio proprio vacaret. Non meretur agnomen Regis, qui virtutem non amat: ita pronunciavit Nicolaus Papa. Et S. Isidorus (l. 2. sent.) Rex à rectè agendo vocatur. Si enim piè, ac justè, ac misericorditer regit, meritò Rex appellatur; si his caruerit, non Rex, sed Tyrannus est. Et alibi (cap. 48.) Reges à rectè regendo vocati sunt. Ideoque, sicut, rectè agendo Regis nomen tenetur, ita peccando amittitur. Agesilaus Rex Lacedæmoniorum audito Persarum Regem dici magnum; in quo, inquit, me major? si non justior.

Virtus Regem facit, quia peccare in officium non patitur. Sed exiguæ istud laudis esset, ac-

quiescere in eo duntaxat, quod vitio careas. Etiam illud virtus confert Principi, quod pro excellentia conditionis erigat imperantis animum ad sectanda augustiora bonæ mentis, quæ longè exsuperant solam â peccatis immunitatem De hac prærogativa regiæ in virtute eminentiæ nunc agemus. Plus cooperatur assistens Regibus Divina Providentia ad fastigium virtutis, quàm quod sola illustris officij ratio suo genio deposcit.

§. II.

Regis probitas avertit damna, quæ, si peccet, populo accumulantur.

LAudatissima est ea charitas Imperantis, quæ, ne incommodet populo, à peccatis abstinet.
Pretium illius, ut picturæ ab offusis umbris capiamus. Meritum probi Principis felicitas, demeritum improbi, ruinæ. Quam bellè sceptro Christiano connectitur moderamen illibatæ conscientiæ! Princeps, qui sibi non imperat, qui â crimine non abstinet;â damnis ingentibus Remp. non præservat. Quis in purpura Davide sanctior, Ezechia, Josia? Primus incomparabilem pietatis Heroëm egit: alter, & tertius, plerisque cæterorum fuit inculpatior. Eorum nihilominus causâ,

cum à recto deflexerant, concussum est Regnum, & subditi attriti; non dissimulante Deo, quantumvis Principum aliâs Sanctiorum crimina, etiàm in populo castiganda. Non erit actus supervacaneæ demissionis, meminisse Reges interdum suâ culpâ plurimùm calamitatum in Rempublicam redundare. A solis ecclipsi magna in sublunaribus alteratio. Conferebat cum sole Principem Augustissimus Carolus V. & sapienter tenebatur à metu, ne in vindictam suorum delictorum subditi aliquando gravarentur. Terrebant exempla è Sacris litteris deprompta, quibus non modo enormes Regum noxæ, sed & leves interdum culpæ armaverant Divinam Nemesim, etiam per subditorum latus in viscera Principis grassantem. Vult divina bonitas quam maximè resplendescere in Regibus, tanquam in emblematibus suæ potentiæ; & lineamentis suæ eminentiæ. Aiebat Trismegistus, Regem esse ultimum Deorum, ac primum hominum: nempe, ut virtute antecellat homines, & Angelos æmuletur vitæ integritate. Libro II. Paralip. (cap. 8. v, 29.) legimus, propter Regem Achabum universam Judæam fuisse â Deo attritam. Quatuor simul plagas unius impietas provocaverat. Uno impetu Syria, Samaria, Idumæi, ac Philistæi Regnum convulsêre. Rex Samariæ Phacee die una centum viginti millia militum de robustissimis ac veteranis cohortibus Achabi prostravit,

ſtravit. Syriæ populi florem Judææ direptis, depopulatiſque urbibus meſſuêre. Pari ruinâ in ſpolium Idumes, ac Philiſtæorum, terrarum illic magnificentia cum opibus recidit. Omitto ſæviens ipſum in viſcera regni caput; dum templi, ac regiæ domûs theſauros Achab ſuſtulit, ut Aſſyrios in ſocietatem armorum pelliceret; quorum quidem cupiditatem implevit, ſed auxilium non ſenſit: ſemper-egens, pulſus aulâ, regno extorris. Penetravit vindex flagrum, quâdam ſanguinis ſucceſſione in propinquos. Maaſias filius Regis occiſus, & Ezraites Prætorianorum præfectus, & Elcana Principi gratioſus. Nempe tragœdiam, quam Regis impietas conceperat; ſubditorum ruina confecit.

Improperabat Iſaias Baltaſſari Babyloniorum Monarchæ: *Tu terram tuam diſperdidiſti: tu populum tuum occidiſti.* (c. 14. 20.) Nimirum abſque ferro, & inermis, dum ſceleſtus in Deum pugnat, Imperij ſui carnifex evaſerat. Notat probitatis regiæ defectum Daniel (cap. 5.) quando appenſum in ſtatera, & inventum habere minus, Medis, ac Perſis caſurum in prædam edicit. Stragem populi depinxit Xenophon (l. 7.) qui Perſas obvium quemque trucidaſſe ferociter refert. Tu, tu itaque Baltaſſar terram tuam diſperdidiſti, tu populum tuum occidiſti.

Initio ſui principatus fulminabat Rex Achab in Eliam Prophetam, quod cauſa famis triennio

nio regnum Iſraël infeſtantis, quod pluviæ de cælo prohibitæ, quod calamitatum tot intercurrentium cauſa eſſe videretur; quòd per ipſum ſtaret, inediâ populum emori, armenta pabulo deſtitui, campos ſiccitate areſcere. Ita impij, ut exculpent ſe ſe, inculpant proximum, etiam innocentem. At: non ego, inquit Propheta (3.reg.18.)non ego ille, qui Iſraëlem conturbo: tu ille es, & Domus Patris tui, qui legem Dei dereliquiſtis. En malum, en cauſa. Rurſus fame conflictabatur terra, atque etiam triennio, tùm, cùm Saul vexatione improba acerbiùs Gabaonitas exercuerat. Non finijt malum, donec pependiſſent .è patibulo duo filij Saul, & nepotes quinque, per complures menſes ab infami ligno expiantes regiã impietatem: Deo regum crimina in Achivis, ut aiunt, plectente.

Sed & Saulis inobedientia in Amalecitis contra Dei mandatum lentè extinguendis regnum peſſum dedit. *Quia non obedivisti*. ait Samuel (Reg. 18. 18. *voci Domini neq; feciſti iram furoris ejus in Amalec: idcircò quod pateris, fecit tibi Dominus hodie, & dabit Dominus etiam Iſraël tecum in manus hoſtium.* Regis impietas fecit exercitum fundi, & vinci. Meminit Theodoretus (l. 14. hiſt. c. 7.) Ducis Trajani, qui reprehenſus â Valente Cæſare, quòd victus eſſet: *non ego*, inquit, *Imperator, victus ſum, ſed tu ipſe perdidiſti victoriam, qui contra Deum aciem inſtruere non deſinis, & ita ejus auxilium Barbaris*

baris concilias. Nam abs te oppugnatus illis se adjungit. Ast Deum sequitur victoria, & ad eos accedit, quibus Deus se Ducem præbet. Castigabat Deus peccata Saulis diversimodè pro varietate, & multipliciter pro æquivalentia delictorum regiorum. Ut enim Rex æquivalet multis, ita crimen regium non simplicis culpæ, aut pœnæ est. Horret animus ad ea, quæ Concilium Parisiense loquitur. Nam (c. 1. pag. 801. col. 1.) sic habet: Scimus propter Regem improbum tranquillitatem populi concidere, mare animorum concitari in feros fluctus, diminui terræ germina, sisti obsequia populi, corrumpi ærumnis prosperitatem Reipublicæ, multiplicari filiorum, atq; charorum mortes, ab hostibus vastari Provincias, â feris greges dilacerari: hyemem acerbius inhorrescere: ver tardare fertilitatem seminum: commercia maris abrumpi: grandines, & fulmina frequenti glacie, & spiculis quassare messem, decoquere virorem, amaricare fructus, elidere arbores. Nec modo tenebras statui suo inducit Rex improbus, sed & obnubilat seriem filiorum, ac nepotum, ut non gaudeat tertius hæres primâ gloriâ parentum. Ita propter Salomonis improbitatem in Roboamo filio extincta fuit majestas, & gloria Regni â Davide fundati. Ita Concilium, ut ad veritatem, sic ad horrorem. Sed & David pietate ac fortitudine bellicâ clarus, suis, quæ virtuti immisce-

immiſcebat peccatis felicitatem ſubditorum nonnunquam corrupit. Adulterio ſemel commiſſo, turbas, ſeditiones, bella, cædes, exitia regno intulit: filium quoque rebellem expertus. Doctus interim experientiâ, quantùm veneni â capite diffundatur, conſolationi ſuæ illud ſupereſſe lætabatur, quòd mortis Abneri, viri plurimùm regno profuturi, atque immeritò occiſi reus non foret (2.Reg. 3. 18.) *mundus ego ſum, & regnum meum apud Deum uſque in ſempiternum â ſanguine Abner.* Sed incautè poſtea reciderat in arrogantiam recenſiti per provincias populi: quam temeritatem, ſuperbiamque Deus immani peſte immiſſa in populum mulctavit: hæc unius diei dimidio ſeptuaginta millia ſubditorum abſumpſit (2, Reg. 24.) Tanto populi damno ſtetit Regem peccaſſe. Nec modus ſupplicio fuiſſet, niſi miſericordia percutientem Angelum repreſſiſſet; & ipſe excidij ſuorum author Rex lachrymis, ſacrificio., prece juſtitiam Divinam placaſſet.

§. III.

Caſtigat Deus delicta Principum etiam leviora, ideoq; eorum probitas eſt Reipublicæ utiliſſima.

NIſi haberemus pro comperto è ſacris litteris, vix fidem præſtaremus dicto, quòd delicti vel unius causâ, ejuſdemque vulgò minus conſiderabilis,

derabilis, & facilè cæteroquin veniâ digni, multa innocentium turba insolitis planè pœnis vapulet, ex eo duntaxat, quòd subsit imperio illius, qui peccavit. Verùm, ultrà expectationem, fidem faciunt, quæ subjungam. Occurrit in argumentum Archimedis apud Hieronē Regem Siciliæ inventio. Apparari jusserat Hiero vastæ magnitudinis navem Ptolomæo Regi Ægypti mittendam. Sed molem pondere immanem, nec multitudo maxima robustissimorum hominum movere loco poterat, ut inde asportata mitteretur in mare. Archimedes machinarum ingeniosissimus artifex desperatæ rei occursurus, promittit Regi effecturum se, ut quod plurimi nequivissent, solus Rex, suâ manu, sine ope, sine labore promoveat onerariam, impellendo quoquò destinasset. Dixit, & fecit. Attonitus ad eventum Rex: quidquid, inquit, posthac Archimedes fieri posse pronuntiaverit, fide sanctum credatur. Aio & ego, non superesse ultrà locum dubio, quòd graviora Regum crimina severè plectantur, ubi constiterit minora castigari in pondere, & mensura. Non invenit finem sacer Historicus (2. Paral. 35.) laudum de Rege Josia prædicandarum: quòd tamen barbaro homini fidem non dederit, opportunè monenti, penè inculpatus exercitum amisit: regnum luctu ex immatura suâ morte consecuto confecit. Et non metuant peccantes sine modo, si in modico lapsi sic plectuntur? Ezechias cum aliqua opulentiæ

lentiæ regiæ oſtentatione Babyloniorum Legatis theſauros Domûs regiæ, ac ſcriniorum recluſerat: atque ecce adeſt Elias, qui terribilem Dei nomine ſententiam fulminat, & regni excidium, & translationem theſaurorum in Babylonem prænunciat. Neque ita multò poſt Nabuchodonoſor Judæam ſubjugat, Regem cum filiis captivum transfert, regalemque familiam in mancipia atque Eunuchos commutat. Accuratas rationes Deus exigit à Regibus, quos cupit eximiè in juſtitia, & virtute fundatos; nec diſſimulat, etiam cum leviter à recto exorbitant. Egerit Protogenẽ in Joſia vindictæ acutiſſimam lineam proferendo, certè egit Apellem in Abimelecho, aliam interſecantem peritiori acie ſuperinducendo. Viſus in illo umbram formalis peccati acerbiùs vindicaſſe, in iſto etiam materialẽ noxam, & vitij penumbram, quòd tamen ſpeciem conſummati ſceleris præſe ferret, crudè eſt perſecutus. Regnum Geraræ adierat Abraham, & ſociam thalami Saram ſecum adduxerat (Gen. 20.) metuens, ne capti fæminæ pulchritudine incolæ raptam illam facerent, ſe occiſo; finxit Saram ſibi ſororem eſſe. Rex peregrinæ pulchritudinis ſibi in thorum adſciſcendæ cupidus, â ſatrapis commendatam adduci in palatium juſſit. Neque aliud fuit, quod indignantem Regi, ac ſubinde huic populo Deum in acerba flagella utrique infligenda provocavit. Ferali morbo corripitur Abimelech. Pari ægritudire decumbit aula omnis: adeſt

adest sub quietem de cœlo nuncius: & ; morieris, inquit, Abimelech, uxorem in domo tua habes alienam. Planè inexpectatum fulmen. Habebat intactam hanc peregrinam Abimelech; nec sciebat nuptam ulli. Quare confidenter: ergo, inquit, peribimus, quia inscij peccavimus? numquid non ille hanc sororem suam, ista hunc fratrem sibi esse asseverabat? Puris manibus, & mundo corde sumus operati. Tanta erat Regis innocentia! Non defuit veritati Deus; atque justum pronuncians: Et ego scio, inquit, quod simplici corde feceris, & ideo custodivi te, ne peccares in me, & non dimisi, ut tangeres eam. Nunc ergo redde viro suo uxorem, quia Propheta est; & orabit pro te, & vives: si autem nolueris reddere; *Scito quod morte morieris tu & omnia quæ tua sunt.* Exemit à periculo simul omnem aulam, ac se Abimelech, postquam insigni cum pietate, ac munificentia prosecutus Abrahamum, ac Saram, eosdem à se dimisit. Prius tamen in documentum regnantibus factus, quantùm debeant formidare, vel umbram peccati. Inculpatos omnino Reges vult Deus esse, ne quos judices constituit cæterorum, ulla ex parte veniant in opprobrium sui officij judicandi.

Impegit in eundem scopulum Pharao Rex Ægypti (Gen. 12.) ex eadem illic peregrinorum Abrahami, & Saræ occasione. Sublata mulier ex commẽdatione pulchritudinis in aulam, statim illuc

illuc flagellum intulit: quo Rex quantumvis insons â crimine, plagis maximis cum Domo sua â Deo castigatus fuit. Pestis, plagarum maxima, â Flavio Josepho immissa scribitur, cum seditionum popularium comitatu. Philo Judæus ægritudines, cum doloribus acutissimis, atque dierum pariter, ac noctium incredibili molestia inflictas memorat. Ita umbra peccati vivam ultionem, imago delicti animadversionem seriam contulit, quâ culpa Regis, quomodolibet inculpati ipsum & cum illo multos exagitavit. Quare Chrysostomus (hom. 1. in Matth.) *Quicumque Regum placuerunt Deo, diutiùs regnaverunt: quotquot autem malignè gesserunt, velociter & à regno, & à vita cum amara morte præcisi sunt, & humiliavit eos Deus sub inimicis eorum.* Quam memorabilem sententiam proculdubio â fortiori intulerit Chrysostomus, postquam observasset delicatum Dei sensum ad exiguas quantumlibet umbras delictorum â regnantibus suo splendori offusas. Exigit Regum conditio, ut qui in caput populi constituti sunt, eminentiam quoque virtutis, quam docent, profiteantur. Exigit Divina in eos munificentia, quæ illos vicarios suæ jurisdictionis, emblemata suæ magnitudinis, simulacra suæ potentiæ constituit; ut non turpiter commaculent, ac decolorent adeo venerandam imaginem sibi impressam, neque indignè obscurent dignitatem adeo illustrem ex super inducta

ducta deformitate & maculis culparum. Celsitudo dignitatis mensura est virtutis, quæ Regem deceat. Concilium Ephesinum (t. 1. c. 4. *Imperatorem Theodorum* nuncupabat *summæ celsitudinis*, *& dignitatis umbraculum*, *& simulacrum*: certè non alterius, quàm Divinæ. Prudenter Alphonsus Rex Arragonum, is, qui Neapolim subegerat, eos aiebat, qui cæteris imperant, cæteris quoque debere supereminere virtute. Et Aristoteles existimabat, plus humano genio inesse oportere Principi: cùm pastor armenti de armento non sit; & pastor populorum ab Homero vocetur Princeps. Orientales Barbari, atque ex prudentissimis Chinenses eam ob rem solent Regem suum nuncupare *Thieneam*, hoc est, filium Cœli (Semed. p. 2. c, 14.) utique non propagine, sed merito virtutis, cuius eminenti, ac supramundano pretio adoptionem cœli consequatur. Immittit Deus in subditos, etiam ea de causa pœnas Regij delicti, ne exemplo ad imitandum trahantur. Quare & proprio flagro, & verbere populi eruditus refrænatur Rex à licentia peccandi: ne duplici incommodo Regnum pessumdet; quorum alterum sunt plagæ ob delictum Imperantis metuendæ; alterum, ac priore infelicius imitatio prava regalis exempli. Nulla major calamitas ab improbitate Principum in Remp. manat instructione peccandi. Hæc Principatuum, & Imperiorum est ratio, teste Damasceno

ſceno (de Barl. c. 13.) ut exhibeant normam, cui ſe conforment ſuditi: qui prompto obſequio ſequuntur, & amant, quod imperantibus noverunt placere.

§. IV.

Magna utilitas virtutum in Principe à ſubtractione mali exempli.

HÆc utilitas ſit è præcipuis altera, quæ virtutem Principi ſuadeat, per quam occaſio flagitiorum, ab exemplo improbi dominantis corroborari ſolita præcidatur. Tantâ ſævitie malum Principis exemplum graſſatur in ſubditos, ut morte immanior, non occidat tantummodo, ſed & occiſos ſupervivere in multam mortem faciat. Ita Gregorius (in paſtor.) *Qui in conſpectu populi malè vivit, quantùm in illo eſt, eum, à quo attenditur, occidit; quantò igitur gravius, ſi is etiam imitetur*. Non eſt lues, non peſtis ſic afficiens, & contaminans communitatem; ut depravati mores in Rege. Continuâ ſerie à palatio in omnem domum, civitatem, ac provinciam virus diffundunt. Egregiè Velleius Paterculus. (l. 2.) *Non ibi conſiſtunt exempla, unde cœperunt; ſed qualibet in tenuem recepta tramitem, latiſſimè evagandi viam faciunt, & ubi ſemel à recto deerratum eſt, in præceps pervenitur: nec quiſquam putat turpe, quod aliis fuit,*

fuit fructuosum. Saulem parcentem opimis, gregibus, atque inimico Numinis Regi Agag, prona ad imitandum populi studia in servandis similiter spolijs, ac armentorum gregibus; & captivis secuta sunt. *Et pepercit Saul, & populus Agag & optimis gregibus ovium, & armentorum, & vestibus & arietibus, & universis, quæ pulchra erant* (1. Reg. 15.) Primus ad flagitium Rex, deinde in vestigia populus. Ab alto proclivior, tanquam saxum in subjectas valles, labitur malitia. Et à capite juxta adagium Græcorum putrescit, ac putet piscis.

Cùm primùm Joas teste Josepho (l. 9. antiq. c. 8.) curam Religionis, & reverentiam Numinis dimisit; illico à satrapis, & primoribus regni desertæ aræ, & via facta, ut solet, extérminio, De Manasse refertur (4. Reg. c. 21.) quòd impietatibus suis provocaverit universum Judam ad parem turpitudinem vivendi. Quorum causam tangit Lactantius (4. Inst.) *Quoniam mores, ac vitia Regis imitari, genus obsequij judicatur, abjecerunt omnes pietatem; ne exprobrare scelus Regi viderentur, si piè viverent.* Ut solsequium se gyrat ad motum sui syderis; ita prosequitur subditus, pari passu antecedentem Principem vivendo. De Ptolomæo Rege Æpypti refert Justinus, primum illum extulisse signum protervæ licentiæ, in cujus castra omnis postea regiò convolavit. Monebant Pharaonem satra-

pæ (Exod. 10. 7.) ut condeſcenderet in profe-ctionem Iſraëlitarum, eò quòd, ut aiebant, jam propè perierit Ægyptus. Ibant ipſi proceres, & conquiſitum Moyſen cum fratre ſolicitè introducebant ad Regem : ſimulque aderant optatam peregrinationem pro populo electo impetraturi. Annuit profectioni Rex: ſed propè nihil conceſſiſſe viſus, quando exoratum iter novis exceptionibus ſtatim limitavit. Regis volubiilitatem pari Protheo complexi ſunt ſatrapæ, ſtatimq; ejecti ſunt de conſpectu Pharaonis Moyſes, & Aaron, ipſis ad expellendos nunc fratres manum commodantibus, qui paulò ante ad palatium officiosè deduxerant.

Potentiſſima eſt vis exempli Regij. Impellit ad imitationem quâdam ſpecie obſequij. Præſto ſunt adulatores, qui Principem, etiam in probro imitari, juſtum putant. *Imperatoris colluvio lex flagitiorum eſt*, inquit Hegeſippus (l. 2. de exc. Jeroſ. c. 5.) & Quintilianus (decl. 4.) *Hæc eſt conditio Principum, ut quidquid faciant, præcipere videantur.* Armiger Saulis ad inferendas ſibi manus alio argumento non eguit, ubi Regem conſpexit ſui ipſius interfectorem. Teſtatur Ælianus, Macedones à temporibus Alexandri Magni ex ejus exemplo longè arrogantiores in moribus evaſiſſe. Tantum hujus Principis in populo authoritas, ceu ſiderum in ſublunaria influxus, valuit; ut non modo illius mores,

ſed

ſed & habitum corporis imitarentur: ideoque cum aliquantùm obtorto collo incederet, nemo erectus ſpectari voluerit. Decumbebat in Hiſpania â febribus Carolus V. ordinaverant medici, ut cæſariem levando capiti, deponeret: manavit conſilium Medicorum in aulicos etiam valentes: omnes cæſariem poſuêre: non neceſſitatis, ſed ſtudij causâ conformandi ſe per omnia ſuo Principi, manſitque pilus deinceps minutior; donec noſtris primùm Imperatoribus cirri, & priſca capillamenta reverterentur. Stultior fuit adulatio Æthiopum, qui proceſſerunt ad inciſionem corporum, ne â Principis ſimilitudine recederent. Si oculo ille caruiſſet, non erat, qui oculum nollet perdere: ſi mancus eſſet; non erat, qui brachio ferrum admovere refugeret: claudicabant in veſtigia claudicantis. Obſtupeſcendum illud ex Suida, quod Imperante Theodoſio, cum eunuchus eſſet Eutropius, qui in aula plurimùm valebat, gratiæ apud hunc demerendæ causâ plures exſcindi ſe, cum jactura barbæ, atque etiam cum diſcrimine vitæ fecerint. Ratio tam præcipitis ſtudij in Principe imitando tangitur â Tullio (ep. ad Sulpit 4.) *Quia vulgus, quod exemplo, id etiam jure fieri arbitratur.* Exitioſa ſanè res eſt malitia imperantis. Liberrimis alis involat in oculos, animoſque ſubditorum. Inde primùm vulgata peccandi licentia: deinde modus, & ratio improbitatis au-

 thoritate



thoritate publicâ firmata: demum per adulationem laudantur ſcelera in obſequium Principis, ac tranſeunt in legem.

§. V.
Principum probitas, magna Regnorum utilitas.

UTi damna avertere, ita conciliare emolumenta Regno ſolet Probitas Principis. Ejus flagitia provocant Dei flagellum: ejus virtus accumulat in commune beneficia cæleſtia. Per Davidis Sanctitatem proſperatum fuit regnum Iſraëlis in eam majeſtatem, & gloriam, quæ tempore Salomonis in ſummum apicem evecta refulſit. Per Ezechiæ probitatem obſidione ſoluta eſt Hieroſolyma, quæ premebatur à Sennacheribo: imò producta in regionem Philiſtinorum potentia, & excuſſum jugum Aſſyriorum. Levabat intaminatas manus in cælum Princeps, & auxiliares inde copiæ convolabant. Ita habent Sacræ litteræ (4. Reg. 18.) *Adhæsit Domino, & non receſſit à veſtigijs ejus, fecitq; mandata ejus, quæ præceperat Dominus Moyſi: unde & erat Dominus cum eo, & in cunctis, ad quæ procedebat, ſapienter ſe agebat.* Per Samuelis pietatem Principis in Iſraël, ac Judicis affluebant victoriæ portentoſæ. Per Gedeonis integritatem expugnatus

pugnatus Chananæus, & fundata Hebræorum Respublica. Debuit Moysi, suo duci, populus ab Ægypti servitute in libertatem assertus, quod is amicus Deo fuerit, ne omninò periret, toties Numini tumultuosus ac rebellis, & promeritus centies internecione deleri. Probitas Principis anima est populi, quâ stante non habet iste, unde metuat ruinam. Virtute Josaphati Judæa à circumfusis hostibus triumphavit, ne nudato quidem gladio victrix. Spes, & fiducia Abiæ super divino adjutorio, pugnavit in octingenta millia, cæsis in acie quingentis millibus inimicorum, & dilatato per victoriam adeo palmarem imperio. Ditavit pari virtute Rempublicam Rex Asa deleto exercitu Æthiopum, myriadem superante, & trecentis falcatis curribus instructo. Dici non potest, quæ emolumenta Hispaniæ contulerit probitas Ferdinandi Tertij Regis: undique affluebat opulentia; undique victoriæ, ac triumphi recensebantur. Levi manu in compendio perstrinxit gloriosissimi Principis encomia Ernandus Perez Guzmannus, dum ait: voluisse divinam bonitatem correspondere benefaciendo Sanctitati hujus Principis, dum totis triginta quinque, quos ille regnavit annis, non audijt famem, aut pestem per Hispaniam memorari. Liberalis æquè ad præmia conferenda Deus est, ac potens ad infligendas pœnas. Æquè manus illius extenta ad miseri-

 cordiam,

cordiam, ut districta ad justitiam. Uti solet ob delicta Principis regna atterere; ita consuevit ob virtutes Regum eadem impensiùs benedicendo condecorare. Non considerat Deus Regem, ut hominem privatum, sed ut personam publicam repræsentantem subditos. Flagitia Regum, flagitia capitis, quæ, ut & virtutes capitis redundant in membra. Providentia Divina Regna æstimat, ut accessorium Principis; quare ad merita & demerita sui Principalis ea cælitùs gubernantur. Accuratè Deus attendit, quid Reges agant, ut secundùm benefacta dimensam felicitatem subditis dispenset. Proinde beatos dixeris, quibus Rex probus obtigerit. Præclarè Cœlestinus Papa Theodosio Imperatori. *Subsequuntur omnia prospera, si primitùs, quæ Deo sunt chariora, serventur. Abraham fide floruit, omnemque orbem fide suæ prosperitatis implevit. Moyses populi liberator zelum Domini contra eos, si quos à Divino cultu recessisse probârat, armavit. David Regem sua præcepta servantem in regno, ut ille inimicos subderet, Dominus custodivit.*

§. VI.

Incomparabile bonum Reip. est exemplum probi Principis.

NEcdum patuit exaggerata utilitas, quam bono communi confert probitas Principis.

Minus


Minus eſt ampliari regnum; quàm ad bonam frugem componi: minus eſt Divitem opibus facere Remp. quàm virtutibus locupletare. Pretium ſine pretio pretioſiſſimum confert in emolumenta publica exemplum Imperantis. Ut vitia Dominantium corrumpunt populum, ſic virtutes inſtruunt. Veriſſimè in perſona Theodorici pronunciat Caſſiodorus (3. var. cap. 12.) *Facilius eſt errare naturam, quàm diſsimilem ſibi ut poſsit princeps formare Rempublicam.* Conſonat Plinius (in Paneg.) *Flexibiles quamcunque in partem ducimur à principe: huic enim chari, huic probati, eſſe cupimus, quod fruſtra ſperaverint diſſimiles: nam vita Principis, cenſura eſt, eaque perpetua: ad hanc dirigimur, nec tam imperio opus eſt, quàm exemplo.* Valde obſervandum, quàm immobili pede iverit Judæa in veſtigia ſuorum Dominantium. Cùm rectè euntibus ſervabat lineam, quam depravabant cum errantibus. Erat gens cedro digna, cùm imperaret David, Joſaphat, Ezechias, Joſias. Horum mores formabant populum. Alternantibus deterioribus, declinaverunt in flagitia, juxta raptum primi in terra animorum mobilis, qui Rex eſt. Rem omnino miram! æquè probos non extitiſſe Hebræos, cùm eiſdem inſignes Prophetæ, & Sanctiſſimi Divinarum legum interpretes adeſſent: At cùm probi Principes clavum tenuêre, fuiſſe mirum in modum Religioſos! nempe plus ponderis



deris ad vitam ritè componendam dat Principis exemplum, quàm conciones, & miracula Prophetarum. Regnante Ozia, abundabat Judæa choro Prophetarum. Aderat Isaias, Joël, Abdias, Amos, Michæas, Jonas; nec tamen fuêre tum, nisi tempora flagitiosissima & dissoluta quàm maximè, Nempe non suppetebat exemplum Principis, qui unus plus centum Prophetis in mores influit. Experiebantur Prophetæ plus in populo valere ædificationem profectam ab aula, quàm concionem intonatam â cathedra. Luctabatur cum Idololatria, ac vitijs Isaias regnante Achabo, & Manasse; sed ludebat operam: vidit expugnata utraque Ezechiâ Imperante. Elias, atque Eliseus incassum fatigabantur ad conformandum legibus Divinis Israëlem, non vitæ austeritas, non ardens Zelus, non eximia Sanctitas, non calentissimæ preces, non impetrata de Cœlo in obluctantes prodigia, non miraculorum multiplicitas ad emendationem gentis proficiebant: momento Josaphat & Josias ad probitatem imperium composuêre, reductâ pietate, instauratâ Religione, quodque mirandum est, absque adminiculo prodigiorum.

Supra miraculorum efficaciam valet exemplum Principis: qui si virtutem colat, magno miraculo par est. Redibat è Scotia S. Columbanus, in qua viderat Regem, vitæ exemplo ad legum divinarum normam composuisse totam ferocissi-

mæ



mæ tùm gentis regionem. Rogatus quid prodigiorum ibi spectasset: maximum miraculorum, inquit, & præstantius universis Rex Scotiæ Convallus est. Ipse virtutum suarum lampade, & odore exempli reduxit ad legum Sanctiorum orbitam latissimè nuper deviantem à recto populum. (Boët. l. 7. hist.). Recte Pindarus. *Rex est ingenium & mores hominum*, Nam quo ipse genio, quibus moribus, quo studio quantumvis arduo se gerat, subditi gregatim consequuntur. Ut Hebræi ad divinam opem implorandam per jejunia, ac preces confluerent, sufficit Mardochæum populi principem ab Esthere designatum prorupisse in publicum, indutum sacco, & opertum cinere. (Ester. 4.) Nihil ad vocem Jonæ sunt commoti Ninivitæ, atque ad prædicationem permanserunt surdi, donec primùm ad seriam de flagitijs pœnitudinem inflammarentur à Rege: qui cilicio indutus, ac ruinam urbis deprecans per susceptam inediam, & afflictationem corporis modum monstravit, quo tandem placandum Numen esse, ut contigit, speraretur. Esdras ad luctum, & planctum universam gentem promovit; ubi prior ipse dignitate, prior quoque exemplo pænitentiæ signa publica, non convocatione, non adhortatione, sed facto suo præmonstravit (1. Esd. 10.) hac arte in reprobrum sensum abusus Nicanor (1. Mach. 4.) ut persuaderet populo impietatem,

sat

ſat egit Raziam Principem habere in poteſtate, quem ſi circumveniſſet, impuliſſetque ad idola, nullo negotio ſuperſtitionem toti provinciæ intuliſſet, exemplo Raziæ certiùs quâm decretis, imperijſque Antiochi permovendam. Validiſſimam legem eſſe pronunciavit Socrates, mores imperantium: validiſſimam, inquam, quòd ad ardua quæque, quò compellere leges nequeunt, Regum exempla ſubditos, non modo obligent, ſed, & neceſſitent. Compulſus ad famem ac ſitim tolerandam fuit exrcitus â Davide, quando deſideratam de ciſterna Bethlehem aquæ potionem, non modo non libavit, ſed & coram Domino effudit; ita compeſcens exemplo voluptatem, cæteroſque ad ferenda militiæ onera, atque incommoditates provocans. Conſecutus eſt Cato tam laudabilis abſtinentiæ parem fructum; quando in communi exercituum ſiti propinatam ſibi â milite lympham projecit; ne impatiens ipſe acerbæ moleſtiæ, minus patientes haberet legiones ad ſimilem penitriam. Occidit ipſo facto ſitim univerſorum, inquit Lucanus; fuitque Imperatoris exemplum militi pro oceano aquæ dulcis, Abſtinebat â vino Joannes III. Luſitaniæ Rex, & abſtenios fecit aulicos; pro delicijs blandi liquoris potandos dulciſſimo Regis exemplo. Suadebat Rex David Ethai Gethæo. Heri veniſti, & hodie compelleris nobiſcum egredi? cur venis? revertere,

revertere, & habita cum Rege; quia peregrinus es. Sed non adeo imbellis animi Ethai: vivit, inquit, Dominus & vivit Dominus meus Rex; quoniam in quocunque loco fueris, Domine mi Rex, ſive in morte, ſive in vita, ibi erit ſervus tuus. Noluit Urias deſcendere â palatio in Domum ſuam; non refici cibo, & potu domeſtico, recogitans, quòd Princeps regiorum armorum Joab habitaret ſub papilionibus, & incommoda terræ, inclementiamque aëris perferret; atque ita illicitum redderet omnem ſuccenturiato militi voluptatem. Profuit generoſitas Jonatæ in tela & enſes obuios, per præruptum iter ad trecentorum millium caſtra hoſtilia penetrantis, ut armiger contemptis, quæ ante oculos obverſabantur, periculis alacriter Regium Principem conſequeretur: potiori calore, quâm quem mille mortes impedire poſſent, ſibi infuſo ab heroica adoleſcentis Regij antecedentia. Quare Concilium Pariſienſe Regibus quàm efficaciſſimè inculcandum propoſuit: ne exemplo bono ad ſubditos unquam deeſſent. (l. 2. c. 1. p. 799.) Rex â regendo nomen habet: Primùm ſe, deinde aulam â vitijs purget: & in virtutibus ſtudeat, quam locupletiſſimè per gratiam Dei abundare: exemplo bono ſubditos inſtruat: præcepta Chriſti ſalutaria fideliter, & obedienter adimpleat. Bonum operando efficiat, ut ij, quos gubernat, pacem

amant,

ament, concordiam, & charitatem foveant; & ſanctis operibus Deo cooperante abundent: dictis & factis diligenter advigilet, ut univerſi pietatem, juſtitiam, & miſericordiam colant: demum obſervet ſuper his omnibus Deo fore rationem aliquando reddendam.

Regia virtus, eſt machina Archimedis, quâ ab uno homine adducitur ſolius impulſu digiti moles, quam viribus centuplicatis non emoveant â centro quàm plurimi. Archimedis poſtulatum fuit: *da locum, ubi pedem figam, & terram movebo.* Obvium Principi hoc artificium eſt: nulla difficultate, tanquam ad motum digiti, mundum cui imperat, impellit. Quod Prophetæ comminationibus, quod concionibus â pulpito hortatores, quod viri Sanctiſſimi auſterioris vitæ profeſſione non evincent, virtute ſua Rex probus efficiet. Audeo dicere, quod efficaciùs quidpiã virtuti regiæ inſit quàm Zelo Apoſtolico. Scimus Apoſtolos non adduxiſſe Imperium Romanum ad ovile Chriſti: unus tamen Princeps adduxit. In Eccleſia primitiva tot fulsêre viri illuſtres, tot inclyti â ſanctimonia, tot â miraculis clari, plus omnibus tamen illi contulit Conſtantinus Imperator. Præſtitit maxima hic princeps, non fusâ vel guttâ ſanguinis, non exhauſtis ullis moleſtijs, vivens inter aulæ commoda, atque in perſonæ eminentiſſima Majeſtate. O rem deplorandam! Tanta poteſt

Princeps:

Princeps, tanta cum facilitate, cum nullo, quod reformidet incommodo; negligit tamen! & subsidia, quæ conferre potest in commune, vertit in detrimenta. Princeps primum mobile est populi; rapit secum inferiora astra omnia. Primum mobile est regula temporum, Rex actionum humanarum in Republica. Sed regulando alteri objecto non profutura est regula, nisi à quavis obliquitate ipsa primùm recesserit. Præclarè Plutarchus: *Quemadmodum oportet, ut ipsa regula primùm recta sit, nihil habens obliquum; deinde reliqua sibi admixta, quatenus sibi congruunt, exæquet: consimili modo Princeps; postquam Imperium in seipso paraverit, ac direxerit, vitamque suam composuerit; tunc debet sibi applicare eos, quibus imperat. Nec enim cadentis est, alium erigere, nec ignorantis docere, nec incompositi componere, nec ordinare inordinati, nec imperare ejus, qui non paret imperio.*

§. VII.

Principis probitas plura confert commoda Reipublicæ, quàm bonæ leges.

EXempli Regii utilitas, cum utilitate legum comparatur. Felicem dicimus Rempub. cui bonæ leges sunt, feliciorem dicere oportet, quæ nacta est principem exemplarem. Plus confert in commune laudabilis vita imperantis, quàm

quàm sanctissimæ leges Lycurgi, aut Spartæ. Et Lycurgi modestia Lacedæmoniorum Remp. efficaciùs composuit, quàm statuta, quæ moderandæ illi condidit. Ita Justinus (l. 3.) Lacedæmoniis leges dedit Lycurgus, *non inventione earum magis, quàm exemplo clarior*. Siquidem nihil lege ullâ in alios sanxit, cujus non ipse in se documentum daret. nempe

- - Componitur orbis
Regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, ut vita regentis.
Mobile mutatur semper cum Principe Vulgus.

(Claud. 4. Consf. Honor.) Quæ sanctionibus multiplicatis non impetrarunt, solo sæpe Reges exemplo effecerunt. Ut Imperator Severus, ac Julianus compescerent exorbitantias sumptuum popularium, post pragmaticas, & edicta, quibus nihil profecerant, suo sunt, quod subjunxerunt, exemplo consecuti. (Ammianus l. 16. Pari arte Vespasianus pristinos mores, & severiorem cultum, proscripto luxu, in urbem retulit. Præcipuus enim adstricti moris cultor Vespasianus fuit, antiquo ipse cultu, victuque: Obsequium inde in Principem, & æmulandi ardor validior, quàm pœna in legibus, & metus. (Tacit. Ann. l. 8.) Alexander magnus prohibiturus licentiam & stultas profusiones, quæ irrepserant in militem, abstinuit à legibus: prior ipse temperantiam ac moderationem est professus. (Curt. l. 3.)

l. 3.) Atque hinc axioma celebre Jurisconsulti (Macer. in l. off. ff. de re milit.) *officiũ regentis exercitum; non tantum in danda, sed etiam in conservanda disciplina consistit.*

Plurima sunt, quæ legibus adversantur. Illas tempus oblivione sepelit; illas earum multitudo obruit; illas frequens mutatio à debita veneratione deijcit; illas protervi mores relaxant; illas negligentia ministrorum enervat; illas connivent ia superiorum irritat; illas audacia, atque impudentia subditorum proterit. Accidit denique quod notat Tacitus (3.ann.) ut Reip. ipsi fastidium tandem creent, simile illi, quod olim flagitia intulerunt. Indubitatum est autem quod ad constitutionem, emendationemque Reipublicæ opus pragmaticis non sit futurum, si in quo virtutem imperant Reges, etiam obtemperent. *Non tantum legis mutatio profuerit, quantum consuetudo eis non parendi nocebit.* (Arist. 2. pol. c.6.) Leges, ubi in contemptum ex desuetudine venerunt, vastam morum ruinam faciunt, quam si reparare per nova statuta contendas, non subtrahes, sed congeres materiam, in quam populus irreverentiùs transgrediendo bachetur. At Principis exemplum adeò venerabile existit, ut adorationem nunquam deperdat, neque incurrat contemptum legum, mortuis duntaxat ab apicibus vociferantium.

Habeatur itaque & istud pro emolumento regalis

galis exempli, quod viva voce præcipiat obſervantiam virtutis. Viva lex eſt actio Principis, potentior lege ſcriptâ, mortuâq;. Theodoricus animam propoſitæ abs ſe conſtitutioni daturus: *Volumus*, inquit, *hoc exemplum in noſtris prædijs inchoâre, ut nulli gravis ſit juſſio, quæ conſtringit & Principem.* (l. 5. c. 18.) Sumptuarias leges vulgaturus Veſpaſianus Imperator, moderatione priùs aſſumptâ fecit authenticas. Quare Livius. (l. 1.) *Si quid injungere inferiori velis, id prius in te, ac tu oſtende, ſic faciliùs omnes obedientes habebis.* Chinenſium Monarcha Tunchim (Semed. p. 3.) populares ſuos ad agriculturam perſuaſurus, poſitâ majeſtate manus aratro applicuit, & ſulcos duxit. Vileſcit lex, cujus oneri ſubtrahit humeros Princeps. Non perſuadet oratio, cui authoritatem non addit operatio Dominantis. *Nec poteſt habere authoritatem ſermo, qui non juvatur exemplo: cum iniquum ſit bona præcipere, & talia non feciſſe.* (Caſſiod. l. 11. ep. 81.) Adhæc legum univerſarum in populo authoritas conſtabilitur, ſi earum vel una obſervetur à Principe. Conſentit ad omnia ſancita populus, quando vel in aliquo habet Principem præeuntem. Si non ſingula æquè imperans adimpleat, conſequitur tamen benigna in favorem Dominantis interpretatio. Præſumunt ſubeſſe cauſam, credunt intercurrere defectum, glorioſè in alijs compenſandum. Confidunt majora

jora promitti per usurpatam contra vulgares observantias licentiam. Disputant Theologi cum Jurisconsultis: num proprijs legibus Principes teneantur? Jus Imperiale docet solutum esse à legibus Principem. Subsistet ea opinio, si ad mentem effati Apostolici intelligatur: qui docet; justo, non esse positam legem. Quare hoc privilegium competet Principi; sed justo. Liceat omnino ex gloriosissimo titulo, justi, eximi imperantem à legum onere: ex quo scilicet ad celsiora virtutum opera solicitatur, quàm quæ legibus possent imperari. Inutilis omnino foret legem stimulus illi, qui inclinatione voluntatis eò jàm agitur, quò necessitate sanctionum cæteri pertrahuntur.

Ut Princeps ad id fastigium pertingat, magna illi integritate, ac virtute est opus. Nec tamen adhuc abesse vult Deus vim exempli; quo concomitetur facto communem observantiam. Sæpè ingentibus periculis se implicuit Moyses per errores admissos, vix aliquando culpabilis. A Madianitis mandante Deo proficiscebatur in Ægyptum cum filijs, ac familia. Motus asperitate itineris, & operis periculo distulerat circumcidere Eliezerum natu minorem, adhuc lactentem. Videri poterat vix in legem peccasse: quando multitudo tota Hebræorum quadraginta annorum spatio postea per desertum deducta simili de causa parvulorum circumcisio-

nem omiserat, non indignante, non exprobrante Deo, minùs exigente compensam pro intermisso obsequio. Occurrit nihilominus Moysi itineranti, in diversorio Dominus, & volebat occidere eum. Notant Interpretes, causam irati Numinis in Moysen, & placatioris in reliquam gentem eam fuisse, quod ipse in populo constitutus Princeps vacasset ab exemplo legis adimplendæ. Oportebat illum cum dispendio quolibet procurare executionem mandati Divini; quodque conveniebat in cæteris dissimulari, in Duce nequaquam visum est, fuisse à periculo correptionis, ac pœnæ infligendæ liberandum. Mensura alterius, & regula, debet esse in suo genere præstantissima, atque indeficiens. Regum vita stat in ideam, ac normam, cui virtus & observantia populi conformetur: quamque propterea sit necesse nulla ex parte deficere. Sibi & alijs perfectum esse Principem convenit. Imo teste Basilio (orat. 20.) perfectio Principis non tam propria ipsius, quàm communis omnium esse debet: nempe singulis per exemplum communicanda. Transumptæ duntaxat populorum virtutes sunt; præstantius in autographo regio, ut resplendeant, oportet Princeps simulachrum est, cuius lineamenta corporis, animique subditorum quisque intra se efformat. Plures subditi, plures pictores sunt, qui ad unum exemplar Principis intenti transferunt in suos animos morum, ac vitæ imperantis similitudinem.

Nec

Nec tamen quidquid virtutis expresserint, æquabunt adhuc illam, quæ in Principe residet, nempe fontem, ac magistram communicatæ perfectionis. Nam ut Xenophon (l. Cyrop.) *Princips est, non se bonum præstare solùm, verùm etiam curare, ut subditi quàm optimi sint.* Ciceroni non est magna laus Regem hominem esse frugi: utique, quia insuper excellere in virtute, atque eam diffundere in subditos illum convenit.

§. VIII.

Vt Exemplum Principis sit utile Reip. debet illud à vera virtute proficisci.

UTilitas exempli; quam præstat bono publico Princeps, fundata esse debet in substantia, non in apparentia virtutum. Absit, contentam esse sola superficie compositionis externæ; si internum robur ac firmitas conscientiæ desit. Decipietur quàm maximè Rex, qui hoc pacto decipere cogitat Rempublicam. Procul à vitijs abesse proponat, non ea tantummodò tentet palliare. Equidem si non tollatur, saltem expedit improbitatem occultari: longè tamen fructuosius est omninò carere malitiâ, quàm nequiter eandem dissimulari. Impossibile

verò est scelera imperantium ex toto tegere. Ita tunc suo Neroni Seneca, (l. 1. de Clem. 8.) *Tibi non magis, ac soli latere contingit, multa enim circa te lux est; omnium in istam conversi oculi sunt:* prosequitur Claudianus (l. 4. Cons. Hon.)

Hoc te praeterea crebro sermone monebo,
Vt te totius medio telluris in orbe
Vivere cognoscas; cunctis tua gentibus esse
Facta palam; nec posse dari regalibus usquam
Secretum vitijs. Nam lux altissima fati
Occultum nihil esse sinit, latebrasq; per omnes
Intrat, & obscuros implorat fama recessus.

Concordat Plinius Junior in Panegyrico. *Habet hoc primum magnae fortuna, quod nihil secretum, nihil occultum esse patiatur. Principum verò non modo domos, sed cubilia ipsa, intimosque recessus, omniumque arcana noscenda fama proponit, & explicat.*

Regium exemplum gradatim in omnem regionem diffunditur. A persona imperantis transit in Palatinos, & aulicos, à Palatinis in cives, à civibus in reliquam regionem, & populum omnem. Quare Theodoric. Rex apud Cassiodorum (l. 10. Ep. 5.) *A Domesticis*, inquit, *volumus inchoare disciplinam, ut reliquos pudeat errare, quando nostris cognoscimur excedendi licentiam non praebere.* Cohærent dictis ea, quibus â Concilio Aquisgranensi Ludovicus Pius Imperator admonebatur. Decet, inquiebant Patres, Sacram Domum

mum vestram venerabilem semper esse, & exemplarem: atque ut fama boni vestri nominis plenè complectatur subditas imperio vestro gentes, simul ac exteras. Congruum nempe est, cum ad vos confluant populi, ut extinguant dissensiones, ac discordias mutuas, refrænentque per authoritatem Imperialem omne nefas; ne reprehensione digna operemini, cui incumbit emendare delicta Vasallorum. Pari cum energia Arnulpho Imperatori inculcat concilium Moguntinum: *Semetipsum, suamque Domum ab operibus nequam emaculet; bonisq; operibus exuberare faciat, ut ab ea cæteri exemplum semper capiant.* Illis primùm, qui regio lateri adstant impensior vis exempli est conferenda: ab his enim dimanat institutio in cæteros, ut ex injecto in stagnum lapide formantur circuli ex circulis, atque latius diffunduntur. Hæc erant studia magni Davidis. Ita ipse de se testatus: *Perambulabam*, inquit, *in innocentia cordis mei in medio Domûs meæ* (Ps. 100.) Ab illo in proceres; ab his in viciniam omnem bonus odor virtutis manabat. *Non adhæsit mihi cor pravum: ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat: non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam.* Ita virtute â capite in omne membrum diffusa facilè fuit eniti in eam laudem, ut testimonium haberet viri secundùm cor Dei. Similia meditatus Senator Prætorianus apud Cassiodorum(l. 11, Ep.8.) pronunciabat.

ostendimus in nobis, Deo juvante, continentiam, ut eam militibus sine pudore imperare possimus.

§. IX.

Pretiosa virtus Principis à laureola speciali in cœlo, quam promeretur.

QUàm pretiosa sit in Rege virtus, atque exinde quanti meriti, ex eo liquet, quòd Divinum aliquid præseferat, quia natum utilitati communi. Nam suffragante Angelico Doctore, tantò divinius, atque æstimabilius est bonum quodlibet, quantò universalius, & diffusum magis in plures. Quare meritum Principis non est singulare, sed æquipollens quamplurimis. Quod si Apostolorum merita transcendunt pretio multa Ascetarum, & Anachoretarum opera; certè virtutes Principum, quæ promovent bonum commune, inter Apostolicas erunt numerandæ. Disserebat super imitatione conversationis Apostolicæ concilium Moguntinum temporibus Caroli Magni, dicebatque *quòd nihil ita hanc imitationem pariat, quàm si ita vivat aliquis, ut bonum eius in commune proficiat*, atque *universis utiliora provideat*. Nescio, quid affine magis descriptioni virtutis regiæ dici possit: nescio quid ad gloriam consecutæ imi-

imitationis Apostolicæ aptius inveniatur probitate dominantium. Magni meriti fuerunt opera Isaiæ ad conversionem Judææ impensa; majora erunt Regum complurium, qui in populis longè pluribus, plus Prophetis non paucis ad promovendam virtutem profecerunt. Omnium operum Divinorum divinissimum esse docet Sanctus Dionysius, cooperari in salutem animarum. Non est supra dignitatem regiæ virtutis, quod vocetur Divina, & divinissima; quia ad morem divinitatis augent Reges in populo probitatem, unde salus comparatur: & quia ratio boni communis Divinum aliquod est opus, cui conservando se impendunt boni Reges. S. Chrysostomus cum Doctore Angelico pluribus in locis conferunt ad invicem virtutes eas, quæ sunt ad alterum, cum cæteris, quæ privatam personam perficiunt. Amborum pronunciatum est, prævalere dignitate, & merito virtutes, quæ feruntur in utilitatem proximi: Inferiora istis esse opera vigiliarum, jejuniorum, vitæ austeritatis, & mortificationis corporum. Addit D. Thomas, prævalere illas actibus virtutum eminentiorum, ut contemplationis, & Religionis, è quibus sunt, frequentatio chori, psalmodiæ, ac cæterorum ejusmodi. Jam verò virtutes regiæ non modo, pluribus, sed & universis proficuæ sunt. Necesse itaque fit, eas plurimùm eminere, & plurimùm meriti comparare, conferen-

do in publicum vitam exemplarem, rigorẽ Justitiæ, zelũ boni communis officio Principis correspondentem, atque in supra allegatis concilijs declaratum. Conficitur etiam, inferioris meriti opera facere hominem arduam quamvis Religionem professum, quantumvis prolixo choro adstet, incedat nudipes, operiatur sacco, jejunia & flagella frequentet. Sine exaggeratione locutus fuit S. Franciscus Borgia, quando Carolus V. Imperator, idemq; pius Princeps, religiosissimo illi viro collocutus affirmaverat; dolere se, quod ad mortificationem corporis captandam, ut desiderabat, non posset decumbere vestitus: respondit enim vir Apostolicus: Domine, noctes, quas olim sub dio, & in castris pervigilavit Majestas vestra, nunc indormire vestitum non patiuntur. Beneficij autem divini est, quod per molestias pro Ecclesia Dei exantlatas in militia plus comportaverit antea meritorum, quàm insepulti cilicijs Religiosi multi ex suscepta vitæ austeritate possint obtinere. Animadvertat itaque Princeps utilitatem ex virtute sibi potiorem cæteris evenire. Quantò enim fructuosior ea manat in commune, tantò amplius meritorum arrogat Principi: & meritum tantò celsius provenit; quantò est proficua magis actio universis.

Non omittam, quod tradit Chrysostomus. Ejus omnino pretij esse virtutes Principum, ut excedant gratias, & dona miraculorũ propter efficaciã, quàm habent

habent in ſubditos, quos exemplo ſuo flectunt ad rectitudinem competentem. Affirmat D. Thomas (2.2.quæſt. 124. a. 3.) quod conatus ac ſtudium ad probitatem, & virtutes Chriſtianas proximum inducendi (quod proprium eſt munus Principis Chriſtiani) ſi ſpeciem virtutis attendas, ſit actio præſtantior martyrio. Martyrium quippe ad fortitudinis virtutem pertinet; procuratio autem boni moralis & ſpiritualis in proximo pertinet ad virtutem Charitatis, quæ principatum ſine controverſia tenet inter omnes virtutes.

Æſtimet itaque ſemetipſum Princeps. Erigat in ſublime cogitationes ad celſitudinem ſui muneris, & requiſitarum illi rectè adminiſtrando virtutum. Conſideret in quo apice perfectionis conditio Regum ſubſiſtat. Summum Chriſtianæ Sanctitatis eſt, zelare honorem divinum, expugnare ſcelera, & promovere virtutes. Hæc occupatio eſt Chriſtiani Principis, dignam factura contentionem de præeminentia perfectionis cum quolibet laudatiſſimo religioſo inſtituto. Major certè perfectio ineſt curæ, ac ſolicitudini Chriſtiani Principis, per quam vitia removentur â populo, & gentes legi Divinæ conformantur, quâm operibus ſanctioris cujuſque Anachoretæ, aut religionem aſperrimam viventis cœnobitæ. Diſtinguit D. Thomas inter perfectiones ſtatuum religioſorum. Alij profitentur vitam activam exercendo opera miſeri-

cordiæ

cordiæ corporalia, qualia ſunt procurare redemptionem captivorum apud infideles; aut miniſtrare infirmis: Alij profitentur vitam contemplativam, quæ conſiderationi vacat rerum divinarum, earumque laudibus in choro & pſalmodia deſervit. Utriſque præſtantiorem eſſe affirmat illam religionem, quæ occupatur in removendis ab eo peccatis, ſeu in ſalute animarum procuranda. Hæc ipſa eſt obligatio, & occupatio officij regalis, cum ea inſuper prærogativa, quod Rex in propria perſona præſtare longè plus poſſit, quàm integra quæque religioſa communitas, imo quàm conſpiratio in eundem finem omnium Religioſorum.

Atque hinc ſpecialis gloriæ ducitur argumentum, quæ muneri Regio debetur, nempe laureolæ in cœlo ſuper cæteras non una ratione illuſtrioris. Communem aio eſſe laureolam Doctorum, Apoſtolorum, ac Regum ob impenſam parem operam, pro ratione non diſſimilis officij curæ animarum à faucibus orci revocandarum. Ternas tantummodo laureolas cum D. Thoma enumerant Theologi (in addit. ad 3. par. q. 96. art. 11.) quas vocant ſpeciales coronas & præmia, conferenda in cœlo ijs, qui cum incomparabili victoria decertarunt in terris adversùs cacodæmonem animarum hoſtem. Ut autem triplici quaſi cerbero armatur infernus adversùs animam, nempe carnis, mundi, ac Dæmonis

monis illecebris, atque insultibus; ita triplex consequitur victorem laureola: una virginum, ob animam à voluptatibus carnis servatam immunem: altera Martyrum, ob contemptam vitæ, commodorumque terrestrium spem, adusque profusionem sanguinis pro Deo, & veritate: tertia Doctorum ob triumphatum, depulsumque dæmonem à propria & aliorum infestatione Partis huius postremæ exercitationes sunt, illuminare gentes per saniora consilia, & doctrinam orthodoxam, atque ad virtutis, morumque Christianorum prosecutionem exemplo invitare. Nemo hanc laureolam Regibus negaverit, si munere suo cum laude fungantur. Illi salubritate legum, ordinationum efficacia, ac vi mandatorum legitimè promulgatis, atque executioni strenuè exequendæ propositis, quavis earum vivacius impellunt ad virtutem. & proscribunt obstantia vitia, salutemque subditorum, promovent; magis etiam quàm audere præsumant mille Doctorum calami, & lucubrationes in idipsum intentæ.

D. Chrysostomus Nabuchodonosorem fecisse opus Evangelicum pronunciavit, quando, ut sit Barbarus Princeps, per edictum tamen publicum habendam Deo vero venerationem imperavit. Munus sacri concionatoris fuisse executus videbatur. Nec defuisset merito Apostolico præmium

mium condignum; nisi cum superbia reliquorum vitiorum vulgus vultum imperfecti operis plane obliterassent. At Princeps Christianus cæterà virtuti deditus, si exemplo & Pragmaticis mores in populo salutares fundet, atque intra legum limites contineat Remp. non modo actionem Evangelicam patrasse, sed laureolam Apostoli consecutus ex imitatione virtutis jure censebitur. Recaredo Regi, qui universam Hispaniam ad fidem Catholicam adduxit, rem pluribus antea viris Apostolicis attentatam, sed minimè perfectam, hujus laureolæ honores quisq; obtigisse præsumet. Ejus erant illæ voces in tertio Toletano concilio plenæ spiritûs ardentissimi, quibus profitebatur; curarum regiarum primas partes esse, ut subditos ad res æternas, atq; cælestes erigant. Idem Episcopos Franciæ, & Hispaniarum alloquens ajebat (pag. 214.) incumbere solicitudini Regiæ, veritatis rationem & amussim procurare: Parum fore, si authoritas Principis in temporalibus gloriosè se habeat: providentiam superesse digniorem, quæ impendatur bono animarum privato. Quare inquiebat, ô Beatissimi Sacerdotes! non eò tantùm industria nostra feratur: ut bene sit Reipub. ex provinciarum regimine prudenti: erigamur etiam per Christi gratiam, ad procuranda cælestia; ne quidquam ignoretur in populo, quod Christianum hominem nosse convenit. Si

unitis

unitis viribus eò tendimus, ut felicitas publica obtineatur per compoſitos mores, & refrænatam improborum licentiam, ſi regno tranquillitatem procurata pace reſtituimus; quantò auctior vigilantia, ſtudiumque attentius eſſe debebit, quò opportunius res Divinæ in commune cogitentur, ac deſiderentur!

§. X.

Regia virtus cooperatur Iuriſdictioni ſpirituali in extirpandis vitijs.

AMovere è medio flagitia ſcopus eſt juriſdictionis Eccleſiaſticæ; ſed & occupatio propria providentiæ regiæ. Reges ab Epiſcopis per juriſdictionem diſtinguuntur; zelo tamen procurandæ in populo virtutis differre non debent. Digna vox fuit Imperatore Conſtantino (apud Euſeb. l. 4. vit. Conſt. 24.) Vos Epiſcopi in Eccleſia, ego Epiſcopus extra eandem à Deo conſtitutus ſum: nempe, quoad ſolicitudinem & vigilantiam in munere ſimiliter paſtoritio, quamvis diverſæ juriſdictionis. In Rege Ferdinando & Iſabella laudant Hiſtorici, quod politicorum Principum æquè munere, ac zelantium pro Dei honore ſacerdotum fungerentur, ex tanta bonorum Spiritualium affiuentia per Regnũ procurata. Nõ eſt aliena à Principe ſolicitudo,



& vigilantia Divinorum. S. Damascenus (in vita Barl. & Ios.) eam de plurimis vult omninò esse primam, quæ regium pectus obtineat. Quocirca laudat Iosaphatum Regem Indorum, qui pro indubitato affirmare solebat; Præcipuam dignitate, & utilitate curam Principi incumbere, ut instruat subditos in timore Dei, & Iustitiæ reverentia. Nec deerat suæ doctrinæ hic Princeps; qui ad legum normam ita affectiones, actionesque componebat, ut exemplo subditis priùs quàm lege præiret, atque exinde, ut peritissimus navarchus ad immobile justitiæ gubernaculum cum dignitate assideret. Nicolaus primus in responsis ad postulata Bulgarorum, meminit Nabuchodonosoris, qui edicto severissimè caverat, sub pœna capitis, atque excidio fortunarum, ne quisquam blasphemus in Deum esset. Tantum, inquit Nicolaus, apud hominem barbarum, atque gentilem valuit Dei reverentia; nec tamen cordi sit Principi Christiano Deum offendi toties, ac contemni? Digna omnino Principe cura, digna sollicitudo, & muneri imperantis conjunctissima. Propheta David loquens de Filio Dei, tanquam Rege, hoc illi pro officij sui ratione principaliùs attribuit, quod divinorum mandatorum interpres, & orator sit. Ita profitentem inducit (ps. 2. v. 6.) *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius.*

Hæc cura Divinorum præmia muneris Episcopalis

palis Regi confert: Dum Episcopalium canonum executionem promovet; dum quod illi doctrina & prædicatione suadent, ipse sociata sua auctoritate efficit impleri. Optimè concilium Aquisgranense: (p.3. c. 2.) Summam auctoritatem habent Principes in Ecclesia: sua namque potentiâ constabiliunt disciplinam Ecclesiasticam. Eorum brachium necessarium Ecclesiæ non est, nisi ut, quod conficere verbo doctrinæ Sacerdotes non possunt, ipsi per rigorem manus dexteræ subministratum obtineant. Sæpe cooperatio potentiæ mundanæ lucra multiplicat regni cœlestis. Qui in fidem, & mores Ecclesiæ peccant fræno animadversionis regiæ coërcentur. Reprimuntur superbi à vindice Principum gladio, ne canones utilirati Ecclesiasticæ commodos, ut solent, pessumdent.

Inter decreta Gelasij Papæ refertur, non raro in sacris litteris conjunctum fuisse munus Principis, & Sacerdotis: idem factitarunt Gentiles, consalutantes eundem & Imperatorem, & Pontificem: utrorumque judicio constituebatur ab imperante non esse negligendam Divinorum curam, æquè ab illo promovenda sacra; & Dei cultui, ac saluti animarum providendum. Christo Domino ob divinitatem personæ jure obtigit, ut in se unum colligeret dignitatem Regis, & sacerdotis, quas deinde divisas esse voluit, tanquam insufficientibus humeris creatæ imbecillitatis ad utrum-

que onus simul portandum. Neque tamen ita ab invicem recesserunt, ut immortali potius connexæ vinculo ambæ dissociari mutuo non possint. Altera alterius ope indiget. Regia potestas eruditione Pontificũ instruitur; vicissim doctrina Pontificia authoritate regiâ fulcitur. Directionem illa actionum præstat, hæc urget executionem. Zelo indivisæ sunt, quamvis distinctæ Jurisdictione.

Summè igitur sibi persuadeat Princeps sui muneris non tantum esse rem politicam curare. Promovere insuper eum oportet studia æternorum bonorum, dispulsis flagitijs, atque erectâ Republicâ ad cœlestem, ut firmetur in temporaneis, beatitatem. Multũ adjuvat felicitatem temporalem vitæ inocentia. Imò sincera nulla felicitas, ubi conscientia insincera. Regis plurimùm interest præcludere viam flagitijs, nec delicta impunè committi. Altè in pectus demittenda est sententia, quam pronunciavit concilium Parisiense (l. 2. c. 1.) regnante Ludovico, ac Lothario Imperatoribus, sumpta ex operibus S. Isidori. Ita namque intonat: *Reges, quando boni sunt, muneris est Dei; quando verò mali, sceleris est populi; secundùm meritum plebium disponitur vita Rectorum: testante Iob: qui regnare facit hypocritam propter peccata populi. Irascente enim Deo talem Rectorem populi suscipient, qualem pro peccato merentur. Nonnunquam pro malitia plebis Reges mutantur: & qui ante videbantur esse boni, decepto regno fiunt iniqui.*

qui. Verba ſanè tremenda, ſed quoad poſtremas partes apprimè à Regibus penſanda, & obſervanda. Eadem inſinuat Venerabilis Petrus Pariſinus (c. 73. Ver. abbr.) qui ita loquitur : *Contingit pro malo gregis, ut ſæpè verè boni delinquat vita paſtoris, & ſecundùm meritum plebium diſponantur corda Rectorum.* Formidanda planè redditur gubernatio, ſi propter flagitia populi, manum à Principis tutela Deus amoveat, ſinatque illum verti in reprobum ſenſum. Num defuit dictis fides ab hiſtorijs Arragoniæ ? Petrus Atares pro Principe bono habitus regnum obtinuit ; ſed ab obtento deinde dejectus, eò quòd mutatio honorum mutationem morum non ferendam in Principe induxerit. O quàm intereſt dominantis exiſtimationi, ac fortunæ, expurgaſſe à flagitijs Regnum! Ita monet Synodus Pariſina (l. 2. c. 1.) *ſtudendum eſt Regi, ut non ſolùm in ſe, verùm etiam in ſibi ſubjectis Regis nomen adimpleat, provideatquè ut populus ſibi ſubjectus pietate, pace, charitate, miſericordiâ, atque concordiâ & unanimitate, cæteriſquè bonis exuberet operibus, ut hæc habentes Dominum ſecum habere mereantur, ſciatquè certiſſimè, quòd non ſolùm de ſe, verùm etiam de ipſis Dominus ab eo fructum bonæ operationis exacturus ſit.* Tota inſtructio canonis fertur ad perſuadendam Regi depulſionem ſcelerum à populo. Huc enim inculcata virtutum inſerendarum multiplex obligatio, & validè incuſſus metus divini judicij, rationiſque diſtrictè reddendæ contendunt.

§. XI.

Quæ debeat esse celsitudo virtutum Regiarum.

QUòd oporteat esse eminentes virtutes regias, constat ex antedictis. Nunc dicimus debere easdem eminere, quoadusque adæquent supereminens populo culmen regalis fastigij. Patres Concilij Tiburiensis (sub form. pp. in ep. prol.) admonuere Arnulphum Imperatorem, *ut misericordiâ & modestiâ omnes præcellat.* Liber Deuteronomij majorem perfectionem postulat in Rege aliquando constituendo, quam in reliquo duodecim tribuum populo; imo exaggeratiorem ea, quàm Levitæ, & Sacerdotes profiterentur. Erant licentiæ complures dissimulatæ pro vulgo in lege scripta: In ea tamen libertate Rex ad perfectionẽ sublimiorẽ adstringebatur: quasi juxta legem gratiæ, quæ illos postea abusus correxit, severiorem vivere haberet necesse. Permittebatur cæteris uxorum multiplicitas, atq; Regi prohibebatur, requirente Deo in Principe castitatem, & temperantiam sublimiorem (Deut. 17.) ne scandalum populo per suam petulantiam crearet. Promittebatur cæteris in præmium Divini obsequij temporalis felicitas; at Regi prohibebatur accumulare sibi aurum & argentum, ne fræna avaritiæ laxaret. Ita quandam paupertatis, & castimoniæ, virtutum Evan-

Evangelicarum imaginem exigebat Numen à Rege, non postulatam à populo. Obedientiæ valde religiosæ obligationem non erit, qui insuper requirat ab eodem exigitam, qui præceptorum Divinorum curam illi potissimum commendatam legerit, ipsúmque ab Ecclesiastica jurisdictione fuisse pendentem ex imperio Divino animadverterit. Accuratam vitæ instituendæ rationem addidit Divina lex. *Postquam sederit*, inquit, *in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine.* Propriâ manu id faciet, & describet eum librum, in quem comportata, consertaque sunt plenius edicta Divina, lata in libris Exodi, Levitici, & Numerorum. Liber quoque transcribendus accipietur à sacerdote: ac denique transumptum istud semper secum deferet, atque habebit Rex, legetq; illud omnibas diebus vitæ suæ. Sufficiebat ordinante Deo, librum legis prælegi populo post exactos annos tantummodo septem, at Rex jubebatur non facere, aut sustinere, ut sibi lex prælegeretur: sed legi ab ipso librum, & relegi non annis septem, aut uno elapsis, sed quotidie oportebat. Porrò ipsa libri descriptio regiâ manu facienda jubebatur juxta dictamen providentiæ cœlestis, ad promptiorem lectionem, ad memoriam rerum in eo contentarum firmiorem, ad expediendas difficultates, quas apices alieni facilè objecissent. Universa autem hæc circumspectio tendebat ad commonefaciendum illius Nationis

principem, ut agnosceret præcipi sibi minimè vulgarem legis reverentiam, minimè raram virtutem, eximium ab omni parte timorem Domini, exaggeratam solicitudinem mandatorum, ac ceremoniarum legis exequendarum. Ad hæc perfectionibus hisce religiosius adstrictus Rex, insuper præstantissimæ, nec minus Evangelicæ virtutis, humilitatis singulariter excolendæ admonebatur. Prohibebatur, ne superbè cor erigeret supra subditos, quos fratres illi Deus compellat: nolens etiam à Principe usurpari in illos præsumptionem patris. Quamvis enim nomen patris foret nomen dilectionis; visum tamen erat Deo, ut simplicior, planiorque foret in populo Regis conversatio, non recedentis ab æqualitate fratris.

Tanta virtutum eminentia postulabatur à Judæo Principe; & minorem Christiânæ gentis moderator præseferat? Tanta Regis perfectio fuit exigita in lege scripta; & inferiorem patiatur lex gratiæ? tam religiosè, & evangelicè Regem Israelitam oportebat vivere; & à promulgata luce Evangelicæ perfectionis Rex Christianus vivat dissolutior? non hæc exaggeratiùs asserta censebuntur, si momenta ponderentur rationum, & dictorum fontes inspiciantur. Natura Regij muneris ea est, quam Menander expressit. Rex imago divinitatis animata est; conformari illam suo prototypo per eminentiam virtutum est necesse. Hoc nisi fiat, deerit muneri, deerit obligationi, deerit

con-

conditioni ſuæmet celſitudinis. Ad dimenſum tam illuſtrium operationum conſequentur Regem præmia in Cœlo: ſin obligationem exæquaverit gloria ingens; ſi minus; pœna potens. Horrenda prænunciat Pariſinum Concilium (l 2. c. 1. p. 800.) agens de munere regio, quæ ad rem præſentem faciunt. *Sciat, quod ſicut in throno hominum primus conſtitutus eſt, ſic & in pœnis; ſi juſtitiam non ſecerit, primatum habiturus eſt. Omnes namque quoſcunque peccatores ſub ſe in præſenti habuit, ſupra ſe in illa futura pœna habebit.* Confirmat eadem Spiritus ſanctus per ſapientem. Potentes potenter tormenta patientur, (Sap. 6.) & fortioribus fortior inſtat cruciatio.

§. XII.

Probi Regis oratio eſt efficax apud Deum, & proficua Reipublicæ.

OPportuna Reip: in plurimis eſt virtus in Regnante. Huius documenta aliqua dedimus: alia deinceps proſequemur. E multis inſignior fructus redundans in bonum commune ab oratione probi Principis derivatus, fons eſt complurium in Remp: gratiarum cœleſtium. Cui commodo fuerit Judæis Ducem habuiſſe Moyſem nemo ignorat. Oratio illius conſtrinxit terram, ne abſorberet; continuit cœlum, ne annihilaret promeritam

toties supplicia universa gentē Victoriam adversus Amalecitas suis precibus, & invictis, quæ protendebat in favorem pugnantium ad Cœlum brachijs evicit. Princeps Josue terram Chanaan obtinuit, triumphis per supplicationem impetratis clarus. Preces, & sacrificia Davidis Rempublicam à peste depascente innumerabilem populum liberarunt. Imperante Ezechia non erat Hierosolymis efficacius in obstantia pericula præsidium oratione Principis. Imperator Theodosius Christianâ demissione, & supplicationibus ad Deum pro robore & armis felicissimè utebatur. Nemo dixerit Rudolpho I. ad triumphos plus arma, quàm preces contulisse Nutabat acies in celebratissimo contra Ottocarum Regem Bohemiæ conflictu: cum in genu provolutus Rudolphus calidâ prece divinam opem implorat: & ecce militi instauratur vigor, disjecti hostes, parata victoria, Ottocarus in prælio occisus, Regnum Bohemiæ arbitrio, & voluntati gloriosi victoris relictum. Plura alia Rudolphus per frequentem cum Deo communicationem fortunatissimè perfecit. Habebat quotidie orationi faciendæ destinatas horas, quibus quotquot adversarentur impedimenta, etiam urgentissimarum occupationum constans attendebat. Dicere solebat: certam sibi gubernationis **prosperè semper eventuræ fidem fore, si conjunctus Deo, gratias cœlestes affatim procurare satageret. Hoc dictamine sapienter usus, felicissimè**

guber-

gubernavit, præfuitque Imperio magna cum gloria. Addidit viribus orationis fervorem Religionis, concomitatum cætera virtutum heroicarum frequentia, quibus auctiora semper reddidit suarum laudum incrementa. Imperator Carolus V. virtute militari promovebat bonum Ecclesiæ, sed & plurimùm confidebat orationi, quâ diviniùs obarmatus ad incomparabiles triumphos provehebatur. Quovis die manè antequam in publicum prodiret, genuflexus horam integram impendebat orationi, auditus non raro ex vehementia affectuum inclamare: Domine in tuas manus Ecclesiam tuam repono. Finitis precibus recitabat horas canonicas ex ritu Ecclesiastico. Nullo non die per omnẽ vitam sacro missæ sacrificio interfuit, unico illo dempto, quo in profectione Africana propter vim ferocissimæ tempestatis non fuerat concessa occasio celebrandi. Hæc Caroli cum Deo conjunctio susceptas expeditiones fine optatissimo coronabat. De Davide Religiosissimus Scriptor Thomas à Kempis commemorat (cap. 4. man. part.) *In die fuit miles fortis in bellando contra hostes: & in nocte devotus monachus orando cum gemitu, & lachrymis pro peccatis commissis.*



§. XIII.

Virtutes Principem Regno amabilem reddunt.

INter emolumenta regiarum virtutum celebriora, eſt gratia & affectio, quam in populo ſibi conciliat Rex virtuoſus. Huius demerendæ potior debet eſſe cura, quam etiam dignitatis afferendæ. Affirmat Simmachus (in relat ad Imp.) *Amari, coli, diligi Imperatorēm maius Imperio eſt.* Exoſo Principi nutat in capite corona. Grus apud Xenophontem (l. 8.) *non aureum iſtud ſceptrum eſt, quod regnum cuſtodit; ſed copia amicorum veriſſimum & tutiſſimum eſt ſceptrum*, & Seneca (l. 1. de clem.) *ſalvū Regem in aperto clementia conſtituit: huic inexpugnabile munimentum eſt amor civium.* Potentiam Alexandri ſupra ſolium Darij evexit amor ſubditorum. Fortuna Principū pendet ab affectu popularium. Subditi ultrò ac ſine tergiverſatione tributa pendebant Stennoni Regi, imo & vitam in eius obſequium ſacrificabant, qui aamabant. (Jo. Mag. l. 14. c. 1) Cor populi ſtudeat venari Princeps, & ſibi conciliare. Hoc eveniet modeſtiâ, hoc conſequetur humanitate in omnes. Periculosè ex faſtigio Imperantium naſcitur faſtidium ſubditorum. Pulchrà virtus, etiam in Principe, demiſſio. *Qui rectè utitur regni poteſtate, ita præſtare ſe omnibus debet, ut quanto magis honoris celſi-*

celsitudine claret, tantò semetipsum mente humiliet (Isid. 3. sent. cap. 49.) Henricus IV. Castellæ Rex Principum sui temporis humanissimus aiebat: ita oportere Regem cum privatis conversari, quâ ratione, si ipse esset privatæ fortunæ, desideraret Regem secum agere: non esse contra eminentiam dignitatis, si Princeps affabilitate prosequatur subditum: accrescere authoritatem dominantium ex amore populi, atque hunc provocari ab humanitate Imperantis.

§. XIV.

Virtus conciliat Principi famam, existimationem, & fidem.

VAlde exornant, & constabiliunt dignitatem publica existimatio, fama, & fides authoritati regiæ conciliata. Arma victorias per multam impensam sanguinis conferunt, sed opinio regna adijcit cum voluptate partium. Judas Machabæus complura prælia famâ confecit. Ad eius nominis, velut magnifici æris sonitum confluebat multitudo. Hoc ipso, quod ferebatur pugnare bella Domini, quod æquitatem, quod Justitiam coleret, jam habebat sequaces affluenter. Falisci in Romanorum partes transierunt, quia & fortes, & æquos esse inaudierant. Plures gentes in eorundem Jura, & clientelam ultrò coaluerunt, non

tam potentiâ, quam infringere fortè poterant, quàm moribus, qui circumferebantur illecti. Dissitos ab urbe per vasta terrarum spatia Machabæos fama probitatis, justitiæque Romanæ in senatum, amicitiam rogaturos excivit. Regi Alphonso, qui à *pertusa manu* cognominatus fuit, Galletiæ, Portugalliæ, aliarumque Provinciarum fasces ex fama liberalitatis accesserunt. Opinio virtutis conservat Regibus Imperium, & promovet. Quod cum Josue Dominus esse diceretur (cap. 6. v. 7.) omnis illum regio est reverita. Nulla arte existimatio fortiùs inclarescit, quàm ubi creditur fulgoribus regiæ dignitatis radios divinos immisceri. Ita loquitur Arias Montanus (in Jos.) Ratio quæ Christianos Principes fecit barbaris venerabiles, sola fuit fama virtutis, atque existimatio fidei, quam præsumuntur observare, tanquam Deum timentes.

Errant errore pessimo, qui studia omnia conferunt ad negotia status, toti demersi in procuratione, conservationeque temporalium. Errant, qui improbo labore per artes humanas eò toti feruntur, ut Majestatem Principis erigant semper in sublime; nec animadvertunt vana esse molimina, quibus Cœlum non assistit, & quæ non adjuvat Deus. Equidem auctoritas Imperantis frænum est inimicorum, quorum reprimitur audacia, ubi animo metus insedit. At si desit existimatio, cadit respectus, parvi-penditur offensa. Exaggerant famam

famam Salomonis ſacræ literæ comparatam à Sapientia (3. Reg. 4. 11.) dominantis, & per finitimas nationes divulgatam, quod hæc judicijs regijs fidem certam adſtrueret. Nec alteri Cicero committendos eſſe faſces cenſebat, præterquam *famæ cupido* Quocunque tandẽ modo hanc Tullij doctrinam circumſcribat, atque ad moderationem virtutis Chriſtianæ revocet S. Auguſtinus (l. 5. de Civit. cap. 13.) hæc tamen univerſa fallent in immenſum, ſi ſperetur per actiones beneplacito Divino adverſas poſſe famam comparari. Dei gratiæ debet, qui inter homines opinione præpollet, & generatim amatur.

§. XV.

Regia virtus obſequio populi compenſatur.

HAbere populos dicto obſequentes unum de emolumentis eſt regiæ probitatis. Naturæ impulſu ferimur in reverentiam meliorum, & rationis ductu in obſecutionem eorum, quæ ſuadent. Cyrus malè collocatam fore juriſdictionem dicebat, ubi melior non eſſet imperans obediente (l. 8. Xenoph.) & *vinculum eſt fidei melioribus parere*, ait Livius. Iſocrates Principi ſuo ſuadebat, ne deterior appareat illo, quem cupit ſibi eſſe obſequentem. Et Dionyſius, *æterna naturæ lege*

lege receptum esse pronuciavit, *ut inferiores præstantioribus pareant.* Adstipulatur Aristoteles (7. polit. c. 10.) qui ea ratione asserit gentes liberaliter submittere se illi, qui eminentioris virtutis splendores exhibet; quemadmodum sublunaria corpora, & elementa motibus obediunt sphærarum cœlestium, rapta à naturæ præstantia, quâ pollent istæ. Rex Alphonsus Neapolitanus pretium Principis constituebat in amore virtutis, eò quòd hæc prærogativa sine negotio ad arbitrium dominantis animos subditorum componat.

§. XVI.

Virtus Regia Venerationem conciliat.

VEneratio præcedit obsequium, & venerationem opinio de Principis virtute præconcepta. Erat Rex Scotiæ Convallus Princeps virtutis adeo venerandæ, ut ex sola erga illum reverentia subditi à flagitijs temperarent (Boët. l. 9. hist. Scot.) De veneratione, & obsequio sibi Principi ab Idumæis præstito, ex intuitu virtutum, quas profitebatur, copiosè Job differit (c. 29.) videbant me, inquit Juvenes, & abscondebantur, & senes assurgentes stabant: Principes cessabant loqui & digitum superponebant ori suo; vocem suam cohibebant Duces, & lingua eorum gutturi suo adhærebat. Auris audiens beatificabat me, & oculus videns

videns teſtimonium reddebat mihi: & infra (v. 21.) qui me audiebant, expectabant ſententiam, & intenti tacebant ad conſiliũ meum: verbis meis addere non audebant, & ſuper illos ſtillabat eloquium meum: Expectabant me ſicut pluviam, & os ſuum aperiebant, quaſi ad imbrem ſerotinum: ſi quando ridebam ad illos, non credebant: & lux vultus mei non cadebat in terram. Si voluiſſem ire ad eos, ſedebam primus; cumque ſederem, quaſi Rex circumſtante exercitu, eram tamen mœrentium conſolator. Cauſam venerationis tantæ aſſignat Job, muneris, quo fungebatur regij executionem: quod juſtitia & judicio inductus à vexationibus impij liberaverit pauperem, & orphano fuerit adjutor, quem cæteri deſeruiſſent.

Non eſt apparatus, non fulgor, non majeſtas comparabilis virtuti Regem adornanti. Incedere ſolebat Alphonſus Rex Parthenopes, ſine turba apparitorum, ſine multo comitatu aulico. Improbabant conſuetudinem familiares, monebantque detrahi authoritati regiæ, per hanc circa regem hominum ſolitudinem: præter morem cæterorum Principum iſtud eſſe aiebant, qui ſatellitio, & numero Nobilium ſtipati prodeunt in publicum. Neque ego, reponebat, Alphonſus, vado incomitatus, ut vos exiſtimare videmini: comes mihi innocentia eſt: meus ſatelles eſt amor populi: his ſtipatum præſidijs nullus metus ag-

gre-

gredietur, nullum probrum offendet. Princeps Lacedæmoniorum Agesilaus sine pompa, & corona militari procedens, dicebat; maiestatem, & magnificentiam eminentiæ regiæ comparari virtute; & prudentia, non satellitio imperantis. Rogatus, quæ securitas esse posset Principi à custodia militum indefenso? prudentissimè respondit: si eo modo Rempublicam gubernet, ut filios pater. Henricus IV. Rex Hispaniæ ornatu vulgari amiciebatur: monuere proceres, videri majestatem ex illo apparatu posse vilescere: Nequaquam, ait Henricus; dignitas Regia non accipit testimonium à purpura, & paludamento, quia turpe est Principem velle distingui à subditis per habitum prius, quàm per virtutis excellentiam.

§. XVII.

Virtus Regia *firmat Iustitiam.*

NIhil optabilius Principi virtutem amanti, quàm efficere ut cursus Iustitiæ promoveatur, nulla passione, nullo respectu executionem interpellantibus. Econtra nihil proclivius, cùm vitia in dominantem irrepserunt, quàm ut prima se sisti à progressu Justitia experiatur. Quare sicut à Justitia regno commodum, sic à probitate Principis. Pelusiotæ in sacrificijs solam à Dijs Justitiam, tanquam Reipublicæ firmamentum precabantur. Quæsitum fuit ex Agesilao, quæ virtutum foret

præ-

præſtantior, juſtitia, an fortitudo? reſpondit: juſtitiam poſſe carere fortitudine, fortitudinem juſtitiâ non poſſe. Ariſtides nomen fortunæ *Græcorum* obtinuit: anni, quibus imperavit baculo, aureo ſunt comparati propter æquitatem, cui advigilabat. Boëtius (de conſol: l. 1.) laudes anni non à fertilitate terræ, ſed à rectitudine gubernationis celebrandas eſſe dixit. Eandem in rem Gregorius (lib. 7. Ep. 120.) pro conſummato regnantium in Remp. beneficio affirmabat eſſe intaminatam adminiſtrationem juſtitiæ. Et Nicolaus Papa ad Michaëlem Imperatorem ſcribens (ep.9.) *juſtitia*, inquit, *pretioſa eſt margarita, quæ non ſolùm in theſauris regiis, verum etiam in ſterquiliniis eſt inquirenda.* Nullibi ea ſuo pretio caret: in gubernatione autem, pretio, valore, emolumento locupletiſſima abundat, glorioſamq; reddit Principis maieſtatem. Ita iterum Nicolaus ad Imperatorem (ep. 8.) Veſtra potens virtus in Domino potius glorietur, in bonitate laudetur, in juſtitia exaltetur.

Decorum eſt Principi vindicare attentiùs injurias illatas ſubditis, quam irrogatas ſibi. Obſervavit Philo, Pharaonem Regem ex duobus cum Joſepho carceratis abſolviſſe pincernam, non magiſtrum piſtorum; eò quod ille in ſolum Regem, hic etiam in cæteros peccaverit; fraude, mora, aliiſque artibus in plures injuſtus: quare hunc patibulo addixit promeritum pendere à trabe, qui

 ſæpe

ſæpe ſuſpenderat aliorum juſtas expectationes. Decet ſimiliter Regem gratitudo, remuneratione fidelium ſervitiorum, quibus colitur à ſubditis, ut horum exemplo provocet omnes ad conſtantem fidelitatem: Teſtimonio quippe Concilij V. Toletani (c. 6.) Exemplis cæteri provocantur ad fidem, cum fideles non fraudantur mercede.

§. XVIII.

Virtus eſt Principi opportuna in dandis Conſilijs.

CONſiliorum anima habetur à Principe virtuti dedito; aiebat Sophocles (in Oedip.) *Improbam in mentem bona conſilia non cadunt.* Et Auguſtus Imperator (apud Dion. l. 50.) *fieri non poteſt, ut qui probroſam, & voluptuoſam vitam traducit viro aliquid dignum, vel conſulat, vel agat.* Impote is affectus conſilia appetitui conformat. Qui amat flagitia, non feret ſententiam pro virtutibus. Nunquam capitur bona reſolutio à mala voluntate, nec verum dictamen à contrario appetitu. Quare Ambroſius: *Qui conſilium dare volet*, alienam *à vitijs cuſtodire debet prudentiam. Quis in cœno fontem requirat? quis de turbida aqua potum petat? quis utilem judicet cauſæ alienæ, quem videt inutilem vitæ ſuæ? quomodo potes eum judicare conſilio ſuperiorem, quem vides moribus inferiorem?* (l. 2. de offic. cap. 13.)

cap. 13.) Secesserunt à corona Roboami decem tribus, quòd Rex imprudentium consilium saniori prætulerit; quod ex incivilitate & malitia, deserta meliore deteriorem sententiam consulentium arripuerit.

§. XIX.

Emolumentum probitatis Regiæ, Prudentia.

PRudentiæ æquè consultivæ, atque cæteris sapientiæ rationibus in Principe confirmandis probitas consulit. Ad prudentiam, docet Aristoteles requiri bonam voluntatem, solutamque à vitijs, & animi perturbationibus. Conditiones istæ tanto sunt desiderabiliores in regnante, quanto eius prudentia maiorem nacta est campum excurrendi per exercitia longè augustiora vulgi actionibus, in spem fortunatorum eventuum. Concilium Tiburiense (in ep. prol.) adducit cum laude sententiam Martini Episcopi, quam in commendationem prudentiæ regiæ instituendo Regem Mironem pronunciavit. Si prudens est animus tuus, tribus temporibus dispensetur: *Præsentia ordina, futura provide, præterita recordare; & sermo tuus non sit inanis, sed aut suadeat, aut moveat, aut consoletur, aut præcipiat.* Quanta ab his prudentiæ occupationibus necessitas omnigenæ vir-

tutis! Qui improbus est, & voluptatem pro ratione complectitur, non attendit ad præsentia, non expendit futura, præteritorum obliviscitur. Unde proveniat in verbis pondus, si à levitatibus cor abripitur? Unde persuasio boni, si malo inhæret? unde decentiora eliget, si deteriora concupiscit? unde erit consolator, quem non tangit alienæ infelicitatis commiseratio? unde rationabilia imperabit, qui non obtemperat rationi?

§. XX.

Princeps probus ditat Rempublicam.

EXimius fructus virtutum regiarum est opulentia Regni. Moderatio regnantis locupletat Rempublicam. Abolet enim sumptus superfluos, ac simul diminuit onera tributorum. Præclarè differit Amalasunta Regina apud Cassiod (l. 10. ep. 3.) *Qui rationabiliter disponit propria, non appetit aliena; tollitur enim Principibus necessitas excedendi in tributis, quoties assueverint propria moderari.* Proprium regalis animi est, non se, sed alios locupletare. Parsimonia Imperantium maximum est vectigal. Tantum per eam subditis liberaliter distribuit, quantum non exigit. Laudatur Alexander Severus, referente Lampridio, quod officia palatij ad solam necessitatem restrinxerit: *Aulicum ministerium in id contraxit, ut essent tot homines*

in

in singulis officijs, quot sola necessitas postularet. Sororiæ sunt prodigalitas, & avaritia; quamvis genij planè contrarij. Sumptus enim superflui, qui nascuntur ex prodigalitate, generant avaritiam, probrum regnantium turpissimum. Quod per excessus deperditur, necesse postea habet Fiscus, ut sordidè resarciat. Non latuit hæc veritas Cornelium Tacitum, dum ait. *Ærarium quod per ambitionem exhauseris, per scelus supplendum est.* (l. 12. Ann.) Propterea Cato duas pestes Reip. nominabat, avaritiam, & luxum; quibus maxima Imperia convelluntur.

Sed moderatio Regnantis non modo temperabit à tributis, verùm etiam munificum se largiendo præstabit. Poterat Traianus frequentissimis congiarijs populum donare, quia modestè vivebat. Sic namque Plinius in panegyrico: *Eas vires habet frugalitas, ut tot impensis, & tot erogationibus vel ipsa sola sufficiat.* Ipse Traianus regalem fiscum spleni in corpore humano comparabat, qui dum inflatur, & intumescit, cætera membra facit attenuari, ac flaccescere. Princeps, qui fiscum augmentat, facultates subditorum diminuit. Qui verò parsimoniam, & modestiam colit, tantùm abest, ut auferat à subdito, ut non magis eidem donet.

§. XXI.

Virtus Regia non tolerat Adulatores.

VIrtutis Regiæ proventus certum præstat antidotum adversus pestem adulationis: ingens sanè beneficium Reipublicæ. Assentatio apud Curtium malum Regibus congenitum vocatur. Plutarchus illam proditioni confert, appellans adulatorem, patriæ, & virtutis crudelem inimicum. Crates Thebanus aiebat Principem inter adulatores cogi incedere, ut inter lupos agnum. Plato (in phædro) adulatorem nuncupat pestiferam belluam toti humano generi, similem strygi veneficæ, ac Dæmonio. Adulator est bestia omni humano generi pestilens, similis veneficio, imò impuro dæmoni.

Malo suo in hunc scopulum impegit Roboamus, qui ut assentatoribus placeret Regnum scissioni, excidioque supposuit. Incredibile est, quo damno Regem, ac Rempublicam decoquant proceres, & ministri, qui veritatem, plerumque ab aula exulem, longiùs arcent. Sapienter conquerebatur Ludovicus XI. Rex Franciæ: cum sibi universa abundè suppetant, solam deesse, quam audire cuperet veritatem. Hanc, inquiebat, pater meus asserebat suo tempore agonizare, nunc planè mortuam, & absque confecto codicillo, experior: Vivunt Principes fascinatis & cæcis similes in corona assentatorum. Ut enim corui mortuos exocu-

exoculant, ita isti excæcant vivos, ne videant, intelligantque saniora.

Rogas causam, cur Regibus proponere veritatem rarus ausit? Respondebo eam esse, quia audire renuunt. Magis inescat dulcedo assentationum, quàm rigor admonitionis sinceræ. Optime nonnemo de Principe malè audiente dixit, quod, sicut multis ex esu dulcium dentes putrescunt, ita hunc ex auditu adulationum aures corrupisse. Ab eiusmodi morbo modestia, ac probitas Principem absolvunt.

§. XXII.

Princeps probus in bello felix.

SUccurrit virtus Principi in toga, & sago. Magnum quin etiam ad victorias momentum confert, seu quia Princeps virtutum amans accuratè circumspicit justitiam causæ, quæ solet Deo dante triumphare; seu quia sincera rebus agendis præmittitur intentio, nihil immiscendo arrogantiæ, aut inanis gloriæ, quas cædibus ac strage humiliatas solet Deus compescere. Liber Judicum refert hoc pacto bis attritas fuisse tribus Judæorum, cum cæde quadraginta millium. Erat equidem bellum justum, sed admixta prava intentio. Plurimum ad victoriam facit, non nisi Dei gloriam quæsivisse.

Gregorius VII. Imperatori Henrico sequentem

admonitionem præscripsit (cp. 7.) *plus honorem Dei, & Iustitiam eius procura defendere; quàm honori proprio providere. Securius enim quilibet Princeps mille impios potest causâ Iustitiæ punire, quàm propriæ causâ gloriæ, quemlibet Christianum gladio sternere; omnia enim creavit, & regit, qui dixit: Ego gloriam meam non quæro: saluti quippe nostræ tunc verè providemus, cùm in cunctis nostris actibus gloriam Dei præponimus.*

Ad hæc dispositiones ad victoriam obtinendam multiplicat virtus, easque non fallibiles; ut opera pietatis, ac Religionis. Ita instruit Regem Bulgarorum in bellum euntem Nicolaus Papa, *Cùm in prælium proficisci disponitis, quod ipsi commemorâstis agere, in Dei nomine non omittite; id est, ad Ecclesias ire, orationes peragere, peccantibus indulgere, missarum solemnijs interesse, oblationes offerre, confessionem delictorum sacerdotibus facere, reconciliationem, communionem percipere, carceres aperire, vincula dissolvere, & servos, & præcipue confractos & debiles, atque captivos libertate donare, & indigentibus eleemosynas erogare.* Opera pietatis, & misericordiæ vivaciores reddunt preces, ac cætera Religionis exercitia Exaudire lamenta pauperũ est norma, ad cuius amussim exaudiatur Regum ab alto supplicatio. Quare idem Pontifex ad Imperatorem Michaëlem scribens: *Vos*, inquit, *qui pij estis, tanta aures ad audiendos clamores pauperum, id est, humilium, pro Ecclesia Dei vociferantium audire debetis;* tan-

tantoq; ad audiendam legem dirigere vestram intentionem magis oportet, quanto ipsi penes Deum haberi orationem vestram acceptam desideratis.

§. XXIII.

Principis probitas est felicitas Regis & Regni.

ALphonsus Rex Arragoniæ & Neapolis præsens dissertationi habitæ super officio Principis, quæstionem eam, quæ de felicitate susceptæ gubernationis, atque regnorum promovenda, vertebatur, resolvit ex Doctrina Sancti Augustini. Reges, inquiebat, erunt felices, & horum regna prosperabuntur, si justè imperaverint; si ad voces gratulantium, & applaudentium; & inter obsequia demisse consalutantium non altum sapuerint, sed homines se esse meminerint. Si studuerint vires totas impendere promovendo cultui, & honori Numinis. Si Deum timuerint, amaverint, & reveriti fuerint. Si tardi ad vindictam sumendam, prompti ad impertiendam veniam extiterint. Si nudaverint gladium vindicem pro sola necessitate, atque ad defendendam Remp: non verò ad pascenda odia, & saturandas privatas æmulationes Si veniam indulserint, non impunitati scelerum firmandæ, sed emendationi impetrandæ. Si quos convenerit tractare rigidiùs,

benignitate commiserationis, & munificentia præmiorū, velut oleo affuso placaverint. Si publicam licentiam, dissolutionemque tantò acriùs strinxerint, quantò liberaliùs laxare possunt. Si appetitui suo prius imperaverint, quàm subditis legem tulerint. Si hæc ipsa non inanis gloriæ causâ egerint, sed amore felicitatis æternæ. Si non neglexerint sacrificia humilitatis, misericordiæ, & orationis quotidie offerre pro suis delictis. His dotibus instructos Reges, atque Imperatores verè felices esse dicemus, & regna ab his longè fortunatissima. Verissimum est nec posse distingui, nec sperari felicitatem Regni, à Regis felicitate disjunctam: siquidem ex mente Henrici IV. felicitas Regis est facere felicem Rempublicam.



VIR-

VIRTVS CORONATA

SEU

CORONARVM

PARS II.

Exhibens illuſtria Virtutum Exempla,

QUÆ


IMPERATORES, ET REGES

Ex Domo Auſtriaca, & Caſtellana ediderunt.

Conſcripta Hiſpano Idiomate

à R. P. JOAN: EUSEB: NIEREMBERGIO è Societate JESU.

Deinde in Italicum, ac demum in Latinum tranſlata.



VIENNÆ AUSTRIÆ

Apud Joan: Bapt: Hacque, Typog: Acad.



VIRTVTIS CORONATÆ

PARS II.

§. I.

Virtutes, & facta Heroica Rudolphi Primi Romanorum Imperatoris.



Mperator Rudolphus, priusquam Augusta corona insigniretur, Comes erat Habspurgi, & Naxiæ (ut refert Æneas Sylvius) ac majoris partis Alsatiæ Dominus. Nobilissimam originem duxit per lineam masculinam à Principe per Europam Domo Francorum. Hanc Pharamundus Rex condidit, qui ex Germania profectns postea regnum Galliæ fundavit. Progenitores Rudolphi à Gallica Domo sejuncti mânsêre comites Habspurgenses, & priscam Francorum stirpem in sua prosapia retinuerunt octingentis & quinquaginta annis, postquam ea in Gallia, & alibi per vicissitudinem,

dinem temporũ fuisset extincta. Quare à Germania, & Francis non est ad originem à Petro-Leonibus in Italiam recurrendum, ut fecit Volaterranus. Joannes Stabius in Laurea Maximiliano Primo dicata enumerat ad usque Rudolphum Reges novem, comites quatuordecim. Nobilissimam prosapiam corona Imperiali primus hic exornavit, post insignes victorias quatuordecim à diversis hostibus reportatas, respondentes numero Majorum, qui regios honores in gloriosum nepotem transmiserunt, inferiore interim titulo contenti. Exinde Rudolphus eâ sanguinem Avorum eminentiâ nobilitavit, ut domum fundaverit, quâ in mundo nulla extat magis Regia, magis Cæsarea.

Pater Rudolpho fuit Albertus sapiens, Comes Habspurgi; mater Heduigis de Comitibus Kiburgi. Chronicon Belgij ex Edmundo, filiam fuisse dicit Imperatoris Friderici II. Natus fuit Anno 1218. susceptus è forte baptismi ab Imperatore prædicto. Huic à prima ætate in bello servivit, ea generositatis, & prudentiæ commendatione, ut existimationem universorũ sibi facilè conciliaverit. Nondum primâ lanugine tinctum suspiciebant aulæ proceres vetustiores, æstimabant periti artis militaris ministri, colebant milites veterani. Tanta passim de adolescente ferebatur opinio, ut pertranseuntem Magnates palatij, & exercitus Imperialis honorificè consalutatum, stantes, & aperto capite prosequerentur: præsentiæ & indolis maje-

majeſtate, alteram, quæ auguſtior imminebat, præveniente. Inter eos, quibus venerationi erat Rudolphus, fuit inſignis mathematicus, qui obſervatus ab Imperatore, quod impenſius adoleſcentẽ revereretur, cauſam tantæ propenſionis rogatus, liberè reſpondit: Majeſtatis Veſtræ in Imperio olim ſucceſſorem veneror. Non fecerat conjecturam è ſtellis Aſtrologus; ſatis illi portendebant venturos honores auguſta capacitas, dignitas oris, & animi magnitudo in juvene admiranda. Promicat heroa Indoles ab omni ætate, & ſtatu, ut ſol allucet, etiam à nebulis. In Italiam cum Imperatore profectus ab exercitijs equeſtribus, ac ludis militaribus ſpecimina dedit laudatiſſima. Nemo erat, qui in haſtiludijs, & torneamentis Rudolpho palmam præriperet. Mortuo Genitore Comite Alberto reverſus in Germaniam, thalamo ſibi conjunxit Annam Comitis Alberti de Hohenperg filiam. Suſcepit ex ea filios tres Albertum, Rudolphum, & Aremannum. Poſtremus aquis hauſtus interijt, jam deſtinatus à patre, ut filiam Regis Angliæ deſponſaret. Septem præterea filias Rudolpho Anna peperit, omnes ut formâ, ſic præſtantiſſimorum cum ſummis Principibus matrimoniorũ ſorte felices. Una de his Wenceslao Regi Bohemiæ, altera Carolo II. Regi Neapolis, tertia Otthoni Duci Bavariæ, quarta Comiti palatino Rheni, quinta Duci Saxoniæ, ſexta Marchioni Brandeburgenſi nupſit. Prima, ac major natu

rariori felicitate ſponſum ſibi vivens in cœlo quæſivit, ordinem Religioſum profeſſa.

Fama virtutis militaris, quæ de Rudolpho circumferebatur complures Reſpublicas, ac Principes invitavit, ut in Præfectum armorum ab ijs adſciſceretur. Eum Ottocarus Rex Bohemiæ præfecit Equitatui, dum contra Iſtrianos bellum gereret. Eius ductu inſigni adverſus Ungaros victoria, profligato Rege Baba, potitus eſt. Eum Argentoratentes univerſo ſuo exercitui Ducem præfecerunt, cum fructu victoriæ, & regionum in poteſtatem redactarum. Eum invocarunt Tigurini, ut militiæ præeſſet, ſemper uſi proſperis ſub hoc campiductore ſucceſſibus. Ipſe in cauſa ſua bellum movit Baroni de Tuffenſtain, item Godefrido Habſpurgico conſobrino, atque etiam Baſileenſibus, ubique marte & arte victor. Solebat ingenio fortitudinem fulcire. Fuit inventor navium, quæ tenues, magnâ induſtriâ & facilitate traductæ, & aptatæ ſerviebant Rheno expeditè tranſmittendo. Columbariam ſtratagemate ſuam fecit. Præmiſerat quippe Boſelmannum vaſe occluſum, qui in præſidium receptus portæ recludendæ viam pararet, & victorem Rudolphum acciperet. Utlembergam alia arte occupavit. Prodibant noctu præſidiarij, equis albis, ut fallerent invecti, & regionem infeſtabant. Totidem numero, & colore de ſuis inſtruxit, duplo militum numero equorum clunibus impoſito. Hos præmiſit

misit ad muros, consequente mox cætero equitatu. Admissi pro socijs hostes præsidium suo Duci compararunt. Præfidentia dici posset, quod subjungimus, nisi ab animi magnitudine fuisset ordinatum. Castra castris, & urbe inimica dividebantur. Rudolphus abit à milite, ad stationem hostium penetrat, salutato nemine urbem subit, imo colloquitur, exprobrat æmulis causæ, quam tuerentur iniquitatem, urget compositionem, ac fœdus. Rem inauditam! valet invictæ generositatis eloquentia, vincit causæ fiducia, conciliantur hostes, & qui venerant confligere, fœdus pangunt, veniunt auxiliares Rudolpho: jamque unus in hostem progressus captivum in castra adducit exercitum, hostium juxta Imperator, atque amicorum.

At inter arma non deerat pietati, ac Religioni Rudolphus. Celebratissima vivit recordatio exhibitæ venerationis Sacrosancto Eucharistiæ mysterio. Inde Rudolpho diadema, inde Domui felicitas & incrementum. Accidit, ut Comiti ad venationem profecto occurreret in agro Sacerdos deferens sacrum viaticum de more Ecclesiæ ad hominem moribundum. Erat dies intempesta, & multæ pluviæ iter infecerant. Ibat eques Rudolphus, sacerdos pedes. Tactus ad occursum Divinæ sub figura panis præsentiæ tenero Religionis affectu Comes equo desilit, atque in subjectum lutum positis genibus affusus Deum sub Eucharistico

ſtico velo latentem adorat. Tum ad ſacerdotem converſus: minimè, inquit, convenit, ut ego equo invehar, & tu pedes incedens deferas Dominum meum, ac Redemptorem, cape equum, inſide & perge, quo evocaris. Addidit facto obſequium; nam aperto capite magnâ cum demiſſione jam ipſe à pedibus ſacerdotem ſtipatoris loco comitatus, deducit ad domum conferendo viatico deſignatam; mox volenti Plebano præmiſſa gratiarum actione pro beneficio equum reddere; abſit, inquit Rudolphus, ut in uſus meos hoc jumentum redeat, quod divino myſterio fuit aliquando deputatum: tibi habe equum, & vale. At ſacerdos Spiritu Prophetico afflatus, in præmium pietatis impenſæ, nomine Dei Imperium Romanum Rudolpho vaticinatur, ac ſpondet, domumque impoſterum tantam, in quam complura Imperia, & regna ſint confluxura. Cœpit fructum prædictionis non multò poſt Rudolphus, & in poſteros ſemper Dei donis auctiores in hunc diem tranſmiſit.

Ferunt eadem de cauſa pietatis fuiſſe à ſanctimoniali quadam in Suevia prænunciatum Rudolpho diadema; vaticinio fidem eventus fecit. Quærebat Germania per interregnum viginti octo annorum Principem, qui animo magnitudini ſuæ par majeſtatem Imperatoriam cum dignitate in lucem reponerat. Pauci anni, quibus poſt Fridericum II. Gulielmus Batavus regnavit, & alij, quos

Al-

Alphonsus sapiens Rex Castellæ in Imperatorem electus promittebat, diu ab Hispania expectatus, nunquã impetratus nihil prodesse poterant publicæ Imperialium negotiorum moli. Itaq; Electores Francofurtũ evocati de creando novo Cæsare deliberarunt, qui fortitudine militari, cæterisq; virtutibus regijs nutantis Imperij clavum à longa vacatione teneret. Visum fuit congregatis quærendum alium à Rudolpho non esse. Itaq; in Imperatorem acclamatur festo die Michaëlis Archangeli, felicissimo planè omine, seu repræsentaturus ipse Imperio Angelum, seu habiturus præsidem Imperiorum Michaëlem in sui, atque Augustissimæ suæ Domus Genium Tutelarem. Promovit electionem Rudolphi Archiepiscopus, & Elector Moguntinus copiosissimè tum effusus in laudes Comitis, cuius virtutum experimentum aliquod non multò ante ipse ceperat. Quippe nuper Româ revertens ditiones illius intraverat. Occurrit illicò Comes hospiti, & honorificè habitum continuatis officijs Aggripinam usque perduxit. Per iter totum animo Rudolphum emensus fuit Moguntinus. Reperit in illo Principem coronâ Imperiali dignum. Quare, dum valediceret, sublatis in cœlum manibus Deum rogavit, sibi copiam fieri priusquam moreretur tam dignum caput vicissim honorandi. Fuit unanimis in Rudolphum inclinatio Electorum, non obstante Regis Bohemiæ Ottocari æmulatione, qui pro corona Imperiali candida-

didatus, per aurum, & legatos rem suam satagebat, etiam ad summum Pontificem missis Internunciis, qui solicitarent patrocinium.

Nihil minus tunc, quàm de diademate cogitabat Rudolphus intentus susceptæ contra Basileenses expeditioni, quos promotis castris ad mœnia, jam tenebat arctè. Ubi accepit inopinatum nuncium, premere ultrà desiit, quos poterat opprimere: missis qui reconciliationem suaderent, pacem fecit. Et Basileenses victi à benignitate victoris affirmarunt, hactenus se cum Comite Habspurgensi bellum gessisse, nolle autem imposterum cum Cæsare pugnare. At loci Episcopus irritatior ex veteri simultate, auditâ procerum Imperii suffragatione, quòd ominosam haberet Rudolphi virtutem militarem, in cœlum suspiciens, O Christe, inquit, salvum tibi thronum tuum tuearis, ne te inde Comes iste dejiciat. Confirmavit factam electionem Pontifex Gregorius decimus, ad quem Imperator legatum illicò destinaverat. Placuit singulariter summo Christiani populi pastori convenisse Electores in personam Rudolphi, eò quòd ad exteras nationes magna hujus Principis à multo tempore fama ingentium virtutum penetraverat. Ipse verò ad capessendum diadema Aquisgranum se contulit. Res ibi memorabilis accidit. Incuriâ eorum, qui regalia, & apparatum Cæsareum advehere debebant, factum, quod sceptri unà deportandi non meminerint. At sibi constans

ſtans in functione Rudolphus Crucifixi effigiem de altari capit, atque hoc, inquit, Sceptrum eſt, quo Deus regnat, quo redempti omnes ſumus: hoc ego utar contra hoſtes Dei, ac Imperii, & perſonæ noſtræ rebelles. Juêre in ſententiam Principes, ac crucem exoſculati præſtitere conſuetum Cæſari homagium. Die Coronationis præfulgida Crux ſereno Cœlo, in aëre comparuit, uti tempore Conſtantini Magni factum legimus. Omen fuit inaugurationis gratæ Superis; & glorioſorum eventuum Pietate, ac Religione ducibus per Auguſtalem Rudolphi proſapiam in Imperio ſecuturorum.

Erat Rudolphus â dotibus tanto faſtigio dignis omni ex parte â natura inſtructus; minus tamen ſe perfecturum religioſiſſimè credebat, niſi dotibus naturæ, Dei gratiam adderet: quo propitio vivebat certus ſecundiſſimæ fortunæ. Ac propterea ſtatim initio gubernationis ſignum crucis, quod monimentum eſt redemptionis noſtræ, voluit eſſe pignus ſuæ felicitatis. Magna veneratione ferebatur in hoc trophæum Chriſti. Ejus honori Tulnæ Eccleſiam conſtruxit. Ex peculiari in illam devotione providebat; ut negotia majoris momenti in feriam ſextam hebdomodæ differrentur. Quare ſi pugna ineunda, ſi ſuſcipienda ponderoſior expeditio, ſi aliud reconditioris conſiderationis agendum, continuò deligebatur dies Chriſti Paſſioni dicatus, quem ſibi fauſtum, ac fe-

 licem,

licem, ex præsidio crucis constanter promittebat; etiam favente per secundos successus experientia fortunatè capti auspicii. Curabat, ut in vexillis, signisque militaribus Crucifixi Imago depicta repræsentaretur. Nec externo tantùm apparatu fovebat devotionem, sed & prosequebatur intimo affectu,ac plurimùm oratione. Quotidie statas horas impēdebat fundendis precibus:per quas actionibus susceptis præsidium, ac propitium de Cœlo Numen ardenter implorabat.Solebat dicere: conjunctionem cum Deo plurimam commodare operam bonæ gubernationi : nihil prius principi satagendum, quam ut sibi Dei benevolentiam demereatur, hoc pacto omnia in tuto prosperè fore collocanda. Constantissimus erat in occupando tempore ad orandum præfixo, nullis ab eo negotiorum momentis unquam avocari se passus.

Post susceptam coronam convocavit proceres Imperii Norimbergam ibi constituturus, & restauraturus res Germaniæ. Adfuere Principes, alii per legatos, alii in persona propria. Solus Rex Bohemiæ Ottocarus, seu fortunæ Rudolphi invidus, seu ex magnitudine suæ potentiæ tumidus, nec præsto fuit, nec procuratores misit. Regnabat ille â mari Baltico adusque Adriaticum, nempe præter Bohemiæ, & Moraviæ Regnum, invaso nuper Dominatu Austriæ, Styriæ, Carinthiæ, Carnioliæ, Borussiæ, aliarumque Provinciarum. Attamen non habebat ex Imperii proceribus, qui partes

tes cum illo sequeretur. Etiam Dux Bavariæ Henricus aliquamdiu tergiversatus, tamen requisitus, ut adesset dietæ per legatos adfuit, & sacramentum novo Cæsari dixit. Itaque pertinax in proposito Ottocarus â dieta Imperiali Rebellis pronunciatur: agiturque reus repetundarum ob usurpatas mala fide terras Austriæ, cæterarumque regionum. Conflixit, priusquam aperto marte ageretur, mansuetudo Rudolphi cum superbia Ottocari. Tentavit Imperator benevolentiâ, & monitis frangere contumacem, & prævenire rigorem, quem provocabat quotidie auctior Bohemi insolentia. Promovit indignationem temeritas Legati, qui in conventu Augustano coram Imperii proceribus nomine sui Regis admodum irreverenter in Cæsarem peroraverat. Omnino constituerant Electores plectere maledicum, existimantes immunitatem Legati non extendi ad impune ferendam hujusmodi petulantiam. Sed prohibuit pœnam benignitas Cæsaris, quæ excusationi, & deprecationi fuit. Induxit Principes ad dissimulandum facinus hominis in aliena persona sui impotentis. Interea cùm clementia nihil apud Ottocarum proficeret, expedita sunt arma. Hæc ne remoram postea paterentur, providè prius alia per Imperium negotia complanare Rudolphus statuit. Recusabant ditiones per interregni tempus male partas reddere priscis possessoribus Ludovicus comes Palatinus, & Marchio Badensis. Hos adortus

 bel-

bello Imperator ad obsequium compulit: nihil motus ærumnis, & periculis, quæ obviam ferebantur; amore justitiæ nihil non principi præferendum ratus. Ab istis in Bavariam cum exercitu transiit, Duce illic Henrico nuper juratam fidelitatem abnegante, & hærente partibus Ottocari. Magna cæde, & ruina patriæ attritus Dux tandem ad humiliter petendam veniam, & facienda imperata se submisit. Inde in ditiones Ottocari movit; castra & civitates expugnavit, ac Viennam obsidione pressam ad deditionem coëgit. Inclinavit cum fortuna animum Rex, atque ad parendum Cæsari persuasus cristas posuit; rem quantò depressiorem superbo, tantò acerbiorem Ottocaro. Pacis conditiones Cæsar victor præscripsit: Rex dimittat Austriam, Styriam, Carinthiam, aliasque Provincias; Cognitionem jurium in illas sibi, ac Proceribus Imperii committat: Ratam habeat Electionem Rudolphi: Juramentum fidelitatis præstet: Investituram Regni Bohemiæ, ac Moraviæ à Cæsare accipiat: Reddat Regi Hungariæ per vim erepta: Captivi utrinque in libertatem asserantur. In sui favorem Ottocarus nihil cupidius expetiit, quàm ut homagii abs se præstandi solemnitas sub papilionibus ageretur: nempe ne abjectum ad pedes Cæsaris, & ad manus oscula exercitus circumfusi spectarent. Data fuit auris arroganti postulato: sed postea mandatum â Cæsare, ut tentorio sic inserta essent retinacula, ut ad momentum solvi pos-

possent. Quare dum flexo genu ab Imperatore Rex vexilla Bohemiæ, & Moraviæ de more accipit, resolutum siparium militi Cæsareo, Bohemoque repræsentavit Majestati Rudolphi advolutam superbiam Ottocari.

Vidit factum Princeps arrogans, sed animo pressit: At reducem in Bohemiam acrius ad intimos sensus extimulavit elatioris & ipsa genii femina, Cunigunda uxor. Hæc centum improperiis maritum adorta indignum regio honore dixit, qui sustinuerit facere imperata illius, cui non multò ante imperaverat: qui pacem excidio turpiorem fuerit complexus, qui in dedecus suæ potentiæ, cum dominaretur â septentrione in meridiem constringi se passus sit intra claustra sylvæ Hercyniæ, atque hoc impetraverit beneficii loco, â ministro nuper suo, & ab hoste: Ipsam se, si modo exercitus sibi committeretur, audaciam hanc in regem conjugem fæde bacchatam generositate suâ ulturã: credidisse olim se potentissimo Principi nupturam, cum vidisset ab eo profligatos Tartaros, repressos Hungaros, subjugatos Styros, victricia in Italiam immissa signa: egregiam verò fortunam sibi obtigisse ex marito sic ignavo! Fregit incautum Regem uxoris maledicentia. Abjecit juratam fidem, rupit concordata, collegit copias, statuit repetere, quæ dimiserat. Nec territus Cæsar revocato propere in castra milite novo fulmine constituit contumacem percellere. Ut oblatæ fuerant

literæ, quibus dicto nuper ſacramento obnunciabat Ottocarus: Bene habet, inquit Rudolphus, perjurus eſt, Deum habebit adverſarium: vindicabit iſte fidem temerè violatam, & patrocinabitur æquitati cauſæ in perfidum, ac rebellem pugnanti. Occurrerunt cum validiſſimis utrinque copiis ſibi mutuò partes in finibus Auſtriæ. Aderat Rudolpho copioſa nobilitas, è quibus Tigurini centum facto memorabili ſimul omnes fortiſſimè dimicantes occubuere in prælio, multis vulneribus ſaucii, & converſa fronte, nullam averſi unquam ab hoſte veſtigii notam teſtati. Miſerat auxiliares copias Ladislaus Rex Hungariæ, Regis Stephani filius; quem poſtea ad demerendam ſibi pleniùs gentem Rudolphus in filium adoptavit. Accidit, ut feriâ ſextâ, die â devotione Rudolphi celebratiſſimo, & fauſti nunquam-non ominis prælium committeretur. Voto prius concepto Eccleſiæ in honorem triumphalis Crucis ſigni conſtruendæ, quod poſtea religioſè, ac magnificè præſtitum, mandavit; ut Albertus filius vexillum Imperatorium Crucifixi imagine decorum proximus Cæſari præferret. Concurrêre acies magnis animis; audaciſſimè Bohemi, Cæſarei & fortiſſimè, & religioſiſſimè. Quidam è Baſileenſibus vir nobilis, ac pius, præibat ſuæ cohorti elatâ voce præcinens ſacrum carmen, quo Deiparæ laudes decantantur: alii fuiſſe dicunt hymnum *Salve Regina*. alii, *Ave maris ſtella*, alii ſimilem in populo vulgatam lin-

guâ

quâ vernacula orationem. Fuit pugna acerrima, & multi utrinque sanguinis. Premente fortiùs Bohemo concussa Styrorum ala cœperat aliquantum fatiscere. Ut inclinare eam partem vidit Rudolphus, equo desilit, ac genu posito Dei opem implorat. Rem prodigiosam! Rediêre viris animi, eaque invaluêre fortitudine, ut memorabili planè virtute victoriam postea coronaverint. Erat in Exercitu Ottocari Herbutus homo Polonus, staturâ præeminens, gigantis instar, validus lacertis, & audaciâ promptus. Hunc pacta mercede animaverat Rex facinus aggredi, quo aut Rudolphum sterneret, aut ei, quâ posset, incommodaret. Occurrit dimicanti Herbutus, & ferociter in Cæsarem invectus plagam intentabat. Non declinavit singulare cum monstro certamen Rudolphus, luctatusque cum obsistente, gladium giganti in viscera adegit, prostratumque humi confecit. Ulturi commilitones Herbuti necem, equum, cui Cæsar insidebat, circumfusi confodiunt. Nec tamen dejectus animo, ut in pedes Rudolphus, in obstantes ut periculo, sic ardore inflammatior pugnavit. Mox adfuit Imperatori miles, qui in auxilium convolaverat. At ipse frequentiores jam circumspiciens: Rem vestram, inquit, in hostem agite, ego salvus sum. Conscenso subinde, qui alter aderat, equo pugnam in Bohemos redintegrat, eo impetu ut aciem adversam mox fecerit inclinari. Stetêre tamen æmuli pertinaciter, donec duo-

rum

rum è Styria nobilium gloriosâ virtute dejectus equoOttocarus,atque octodecim vulneribus confossus spiravit. Intellecto Regis periculo Cæsar mandavit, ne interficeretur; misitque, qui incolumem servarent: at non profuit optasse salutem illi, qui vitam temere in discrimen conjecerat, Divis æquè, ac hominibus ex perjurio invisus. Jacuit corpus exanime suo sanguini insepultum, & ornamentis regalibus â gregario milite spoliatum; Fuit hic exitus Regis Ottocari, qui fructum arrogantiæ suæ retulit, die unâ, vitâ, regno, & honore exutus. Cui omne ex eo infortunium, quòd cum esset regnator terrarum ac populorum complurium, imperium tamen sui, ac fæminæ unius minus æquâ felicitate tractaverit.

Rege extincto animus militum elanguit; quare desperata â manibus salute, eam quæ â pedibus superfuit, involarunt. Stitit calorem incitati ad cædem militis Rudolphus, & internecionem Bohemorum prohibuit. Cadaver Regis defuncti reddi jussit, voluitque honorifice tumulari. Desiderati sunt ex hostibus quatuordecim mille. Excesserat numero exercitus adversæ partis Cæsareum, non tamen generositate, & disciplina militari, quarum alteram exemplo Imperator, alteram institutione perfecerat. Ducis simul, ac militis fortissimi specimen Cæsar in prælio præstitit, assecutus, ut alias semper summorum in bello Principum Annibalis, Scipionis, Catonis, cæterorumque gloriam militarem.

rem. Non est omittendum, quod ad hæc tempora refert Æneas Sylvius de Rudolpho. Defectu aquæ laborabat siti exercitus. Fortè ex agro proximo sublatam â messoribus amphoram cerevisiæ attulerant ad Cæsarem milites. Urgebat sitis, & instabant officiosè circumfusi, ut libaret. At Rudolphus: Ite, & messoribus potum, quem sustulistis, referte: non mihi, sed exercitui sitiebam: neque amphora hæc pro tantis sufficiet. Discussa est glorioso dicto sitis ab aridis militum faucibus, nec fuit, qui de molestia amplius quereretur, aut solicitus illi levandæ circumspiceret opportunitatem. Victoriâ clementiùs est usus Rudolphus. Regnum Bohemiæ Wenceslao Ottocari filio attribuit: & quò obstrictum pleniùs sibi faceret filiam Gistam, alii Juditham vocant, matrimonio ei conjunxit. Vicissim Rudolpho filio Agnetem, itidem Ottocari filiam desponsavit, addito in patrimonium DucatuSueviæ,& Landgraviatu Alsatiæ: Austriæ porro Albertum primogenitum rogantibus Provinciæ statibus, Principibus Germaniæ intercedentibus, & annuentibus Electoribus præfecit; nempe meritis hujus, jam tum per gradus ad Imperium olim capessendum aspirantibus. Alter interim filiorum Rudolphi fortuito casu aquis haustus interiit, attemperante Deo, uti solet, cum adversis prospera, ne felicibus nimiùm, quam oporteat, res humanæ auferantur.

Rebus ad votum compositis totum se Cæsar accin-

cinxit ordinando Imperio: Deviaverat illud per temporum vicissitudines â regulari motu: & habebat necesse Intelligentiâ providè, ac solicitè assistente, ut reponeretur in cursum, suâ dignum præstantiâ. Quare, ut notat Rhoo (lib.1.) abstinuit â profectione in Italiam pro capessenda coronâ â Romano Pontifice juxta morem complurium Antecessorum. Considerabat damna, quæ per regnantis absentiam facile per Germaniam poterant succedere. Expendebat lucra, quæ ex profectione Italica admodum exigua reportarentur. Videbat multis Imperatorum illud iter infructuose, pluribus infeliciter evenisse. Itaque suadentibus profectionem respondebat per apologum Æsopi Leonem belluarum regem desiderasse & imperasse, ut minor animantium populus ægrum se inviserent. Vulpem posteriore loco venisse; monitamque ingredi abstinuisse; eò quòd vestigia ingredientium plurima observasset, redeuntium nulla: nempe priora in alimentum ægroti cessisse; sibi, nisi imprudenter perire vellet, non arridere periculum. Et Rudolphus pluribus Imperatorum contigisse ajebat, ut aut in hoc itinere perirent, aut inglorii reverterentur: se neutrorum exemplo fore prodigum Majestatis. Nihilominus absens amicissimè coluit Romanos Pontifices. Nicolaus tertius fretus authoritate Rudolphi eximia multa confecit, plura fidenter ausurus, si longiùs supervixisset. Inter alia Regem Neapolitanum munere

iena-

ſenatoris Romani privavit. Petrum Regem Arragonum cum Siculo & Neapolitano compoſuit. Acuebat cor Pontificis ad audendum favor, & amicitia Rudolphi; cujus exiſtimatio, ſicut in Germania obedientiam, ita in Italia reverentiam evincebat: Donavit ſedi Apoſtolicæ Rudolphus Ravennam cum Exarchatu, & Bononiam ampliſſimas civitates. Quibus teſſeris amicitiam & liberalitatem in Pontifices comprobantibus, ſimul conteſtabatur pietatem, fidem, ac Religionem in Deum eximiam, concomitatam virtutibus glorioſiſſimo, & Chriſtianiſſimo Principe digniſſimis: Pietas quippe munificentiæ in Eccleſiam mater eſt: quæ à Cæſare ſuperimpenſa fuit tam univerſim, quam ſingularibus plurimis piis locis, ditante alibi, alibi dotante.

Opinione, ac fama Imperatoriæ Prudentiæ claruit Rudolphus pretium, & venerationem Procerum, ac populi exinde conſecutus. Si judicium de prole diſceptantium fœminarum magnam ſapientiæ exiſtimationem Salomoni contulit; conferre potuit Rudolpho frequens quoq; ſentẽtia in cauſis maximè ambiguis glorioſè prolata. Venerat Cæſar Norimbergam: adfuit illico mercator accuſans hoſpitem, apud quem diverterat, quod marſupium ducentis coronatis grave depoſitum in manus, reddere, imo accepiſſe pernegaret. Non erant ſuper depoſito confectæ tabulæ, non teſtimonia. Veritatem abditam prudentia Rudolphi protraxit

xit in lucem. Captavit opportunitatem rei agendæ, postquam de materia, & qualitate bursæ plenè fuerat edoctus, in id tempus, quo non multos post dies erant adfuturi solemni cum apparatu Patricii, ac cives ad manus oscula, atque consalutandum Cæsarem. Adfuit inter cæteros designatus hospes, fortuitò ex aliorum ornatu ab elegantiori compositione, ac cirris pilei discernendus. Usus occasione Imperator, & in benignam conversationem familiariter immissus pileum hospitis è cæteris civium apparatibus laudat: imo complacentiam habendi illius, ac cum suo commutandi præ se fert. Quid infra humanitatem magis ageret hospes, nisi prompte offerret tanto Principi, tam exiguum, sed ut advertebat cupitum munus? offert itaque & acceptat oblatum Cæsar. Sed aliquanto post secedens à congressu fidum hominem cum pileo ad civis domum, atque conjugem ablegat; mandatque ut mariti nomine in fidem exhibiti galeri, bursam formæ, & quantitatis designatæ, reconditam loco, quem ipsa nosset, postulet, atque evestigiò transmittat. Persuasa indicio mulier crumenam depromit; & impetratam nuncius defert Rudolpho. Cæsar adhuc perneganti tabernario depositum exhibet, ac confusione opertum percellit. Consecuta est pæna improbè mentientem; ac sagacitate, industriaque Imperatoris eruditi Principes merita fide, condignoque timore sapientiam Imperantis imposterum sunt prosecuti.

Erat

Erat Imperium annis præteriti Interregni graviſſimè convulſum. Dominabantur injuriæ, deprædationes, diſcordiæ, tyrannides. Nihil armis in tot flagitia profeciſſent, niſi prudentiam gubernationi Rudolphus admoviſſet; niſi conſilio & induſtria, reginæ virtutum prudentiæ collactaneis, opera Herculeis propè viribus deſperanda ſuſcepiſſet. Bellum geſturus præmittebat accuratam ſingulorum eventuum circumſpectionem. Factâ reſolutione procurrebat ut fulmen. Ita expeditiones prudentia, prudentiam fortitudine promovebat. Contra eorum morem, qui dum inconſultâ cupiditate feruntur, quo ſtulta ambitio applicat, plerumque abeunt inglorii. Conſueverat dicere: Imperia gubernari per virtutem prudentiæ, & per tyrannidem frequentius dilatari: ſed ſubjungebat; quod præſtet imperare bene, quā amplificare quomodolibet Dominatum. Utroq; axiomate confundebat pronam ambitionem ad aliena concupiſcenda. Cujus in Rudolpho ſuppreſſæ, ac edomitæ magnum ſane prodigium fuit, cum princeps eſſet genio, potentiâ, felicitate nulli ſecundus, atque ad ſolium non a natalibus evectus, ſed virtute propria eluctatus cepiſſe poterat experimentum voluptatis, quâ plurimi inebriantur, ſceptra ſibi & coronas multiplicandi. Tantus animo, ac fortuna præſumptionis nihil jactabat: æquè auſcultandis aliorum conſiliis deditus, atque negligendis adulatoribus. Dicebat aſſentatores more lupo-

rum grassari: siquidem hi jumenta, quæ scalpunt, & lambunt etiam solent absumere: illi principum exitia, ac ruinas festinent, dum verborum dulcedine lethargum, ut improbæ sirenes immittunt.

Prudentia moderationem superinduxit. Non cupiditas, non fastus auferebat Rudolphum. Suadebant multi, ut capta opportunitate, quæ affluebat, domus suæ, atque Imperii incrementa procuraret. At ille immobilis ajebat, privata lucra curari â principe admodum temperanter oportere: publica verò commoda non consistere in promovendis finibus, sed in bono regimine, qui scopus unicus esse debeat Imperantis, si Reip: prodesse velit. Ita non efferebatur dignitatis Imperatoriæ eminentiâ, ut intuens quandoque Cæsareum diadema sic proloqueretur: ô Corona quam tu illudis oculis te appretiantium! Sed si homines nossent, quantum ex te molestiarum, ac curæ proveniat, nemo sanè te humo attolleret. Rogatus causam; unde tanta dominandi universim cupiditas; ut prodigium sit reperire quempiam, qui fasces seriò detrectet? cum econtra quamlibet cæterarum artium ignorantes, atque ad illius exercitium provocati, sine mora excusent, atque imperitiam ultro profiteantur. Respondit Cæsar, e pluribus eam esse, quod vulgi opinione, pro stolido, ac bardo habeatur, qui præesse nesciat: neminem proinde esse, qui stoliditatem velit de se primus enunciare. Innuebat hoc responso: Dotes Imperantium

tium

tium à prudentia conferri, cujus necessitatem cum haberet perspectam, ipse in gradu eminenti per eam fieri conspicuus satagebat.

Vulgi sermonibus sic attendebat, ut fructum instituendæ gubernationi caperet. Juerat aliquando dissimulato habitu (quamvis in apparatu vestium ne quidem aliàs luxum quæreret) per vicos urbis celebrioris. Ingressus domum panificis obvii ad ignem se applicuit, quod aura foris rigidior afflaret. Mater-familias hominem plebejum rata, atque ideo commotior audaciam exprobrat subintrandi alieno tempore peregrinam domum. At placatior ille, ut sermonem porrò contexeret, veniam facti demissè rogat; militis egeni, ac pauperis conditionem simulatam prætendit; dicit se in obsequio Imperatoris absumpsisse facultates omnes, at pro impensis servitijs nullam compensam retulisse, quinimo fraudatum condigno stipendio â Cæsare, nullam meritorum suorum rationem habente. Tum fœmina acrius incalescens: ita ita, inquit, Cæsar ipse istus est, qui ruinam nobis quæsivit, & vos auxilio illi, obsequioque estis; altam crucem omnes promeremini; hoc meum pro salute vestra votum est. Reposuit Rudolphus: quantum mea interest, nolo ultra lamentari; at cur vos de Cæsare conqueramini, non video; ab eo vobis nihil sinistri. Tu enim vero hæc nescis, ait fœmina, numquid non ille ad incitas redegit pistrinum omne hujus civitatis? prius opulentè, &

laute habuimus, nunc angustijs domesticæ rei con ficimur (correxerat namque Imperator per eos dies abusus, qui per insolentiam hujus artis magistrorum irrepserant) tùm impulso ad limen hospite, facesse, inquit, â domo non tua; simul vas aquæ, quod se manibus obtulerat in focum injicit, qui tardantem adhuc Rudolphum cinere, ac fumo obruit, ac progredi fecit: prosequentem nihilominus amæno, affabilique risu mulieris urbanam rusticitatem.

Munificentia planè Cæsarea profusus in omnes, in se ipsum illiberalior videri potuit. Non ostentabat Majestatem Imperatoriam â conquisito apparatu vestium, aut satellitij, aut comitatûs. Totam reponebat in generositate & virtute, quæ sola principem in Rudolpho spirabant, quidquid tenuitas vulgaris habitus obloqueretur. In castris planè exosam habebat pompam, sartis vestibus ac refectis frequenter usus. Fastus ingens fuit, quo Ottocarus Bohemiæ Rex amisso priore prælio adjurandam fidelitatem compulsus coram Rudolpho comparuit. Magna cum ostentatione superbivit aula omnis: jumenta quoque textis auro phaleris, quas pretiosi lapides distinguebant, invehebantur. Paludamento nitebat Ottocarus, ostro, & raritate gemmarum radiante. Perstringebat Cæsareorum oculos Illustris apparatus, & ne quid in Majestate Imperatoria desideraretur, hortabantur Rudolphum proceres, ut posito viliore, nitentiorem

rem habitum indueret, qui dignitatem æquaret. Risit supervacaneam suorum solicitudine n Cæsar, & quandoquidem, inquit, Rex Bohemiæ toties griseam vestem meam derisit, fiat, ut vestis mea grisea eundem derideat. Vos quoque convenit abstinere à pompa; armis induimini, casside caput & thorace æreo pectus armate. Hastas & apparatum militarem, quo ferimini ad pugnam succincti adstate, sinite Bohemos opum ostentatione splendescere, vos æra, & robur martium monstrate. Hæc enimvero vos sola decent, ac me. Fecere imperata Palatini. Et Imperator vulgari penula indutus adfuit juramento fidelitatis, atque homagio recipiendo.

In administranda Justitia severum se præstitit. Non ferebat injuriis præsertim egentiores prægravari. Acerrimè in prædones viarum inquirebat. Octoginta castra, seu facinorosorum receptacula per Imperium excidit. Captos latronum primipilos, aut clavo affigi, aut capite minui fecit. Tanta exinde per Germaniam consecuta itinerantium securitas, ut profecti mercimoniorum causâ affirmarent, tutiora sibi esse, quæ deportabant, in vijs publicis, quàm olim fuerint in domibus, atque officinis. Diruit complures arces, â quibus vicinorum infestationes, prædæ, insolentiæ in patentes provincias redundabant. Hos seditiosorum nidos erectis alibi munitionibus in tutelam finium compensavit. Eo regnante proruperat è

tenebris nonnemo, qui se Imperatorem Fridericum II. superstitem nominabat. Concordabat oris aliqua similitudo; dabat indicia nonnulla rerum ab eo Cæsare gestarum cum complicibus non paucis etiamnum viventibus. Profundebat uberem in obvios pecuniam, incertum quâ arte comparatam. Nec deerant, ut fieri amat, rei novæ sectatores, quin certatim ad impostorem confluebant. Placuit initio Imperatori fabula, quam scitè admodum homo agebat: At ubi cœpit incautius regionem involare, deditione urbes capere, edicto Rudolphum ad restituendum diadema compellare, adfuit illico Cæsar armatus, & impostori præpropere: neque enim differebat momento, quæ necessitas suadebat, captam Friderici umbram quæstioni subjecit, convictumq; imposturæ mandavit ignibus absumi: pænâ, quam promeretur adulterator monetæ, ob confictam Principis imaginem, omnino condignâ homini, qui ipsum quoq; Principem confinxerat.

Justitiæ gemella Pax est. Ambæ in pectore Rudolphi amico complexu jungebantur. Vires, ac fortunam bellicam quærendæ tantummodo paci impendebat. Hanc ut constantem obtineret, tentabat initio premere motus omnes litigantium, aut pactis, aut armis. Ita Principum simultatibus disturbatis locum rationi faciebat. Nec erat, qui adversus monentem tergiversari vellet, cujus expeditæ deliberationes, ac vires notissimæ suggerebant

bant argumentum ad tranquillitatem. Interdum ne motus graviores cieret, dissimulabat adverte-re, quæ fiebant, nec tricabatur in minutijs rerum, aut existimationis. Constituerat Honorius IV. Pontifex insalutato Imperatore Vicarium Italiæ Phizivallam, quamvis postea per legatos confirmari illum â Cæsare in suscepto munere postula-verit. Poterat Cæsar indignari. Attamen dissimu-lavit, sive ob reverentiam, quam sedi Apostolicæ deferebat, sive ne tranquillitatem Italiæ turbaret. Persuasus ijsdem argumentis, plura summis Pon-tificibus indulsit, nunquam reflexâ ad obsequio-rum molestias, quæ occurrebant, pietate. Pacem amabat, tum quòd ipsa per se prodesset, tùm quòd conduceret bello. Nam qui pacem habet cum multis, sine labore uni bellum movet. Quare aje-bat, litigantem cum pluribus, prudenter acturum, si concordet cum duobus, atque ita liti tertiæ, quæ majoris sit momenti validius insistat. Et ipse ut in hostem unum majori cum fructu incumbe-ret, paciscebatur cum adversarijs tenuioribus. Ad-hibebat insignem ad omnia industriam, & expedi-tos animi motus. Quandoque etiam inimici do-mum adibat, & factus conviva ex hoste, sine arbi-tris compositionem solus inibat, ut facili cum im-pensa, sic prospero ut plurimum cum eventu.

Fuit Principum Clementissimus Rudolphus. Fa-cillimus ad veniam, cum demissi, ac supplices de-precarentur, etiam rebelles. Affirmabat, pænite-

re se, quod aliquando inclementior, nunquam autem, quod nimium facilis fuerit. Ita loquebatur, cum dicerent nonnulli Rudolphum ab accepto diademate mores mutasse, atq; jam supra genium, imo ultra quam oporteat esse clementem. Intererat balistariorium concertationi Imperator, uti exercitijs quibuscunque militaribus adesse cum voluptate semper consueverat: Ex his imperitior, dum incautius arcum tractat, jaculo de manibus elapso non longè absentem Cæsarem gravius ferit. Evestigio ille in carcerem ad pœnas, ut ex orchestra ad palatium Cæsar pro vulnere curando. Conclamant ex adstantibus nonnulli præcidendam esse improbo manum, quà sic improvidè in Principem peccasset. At Rudolphus benignior: egregium verò & opportunum consilium! prius præcidi manum oportebat, antequam telum jaceret, & feriret; numquid vulnus ex præcisa manu curabitur? solvite hominem à vinculis, ac dimittite. Oderat Rudolphum Ottocarus odio vatiniano. Rem, ut putabat, Cæsari gratam facturus nonnemo obtulit se necem Ottocari procuraturum. Reposuit Imperator: non diffiteor inimicus mihi Ottocarus est; nec tamen exinde me decet facere, quod dignoscitur alienum ab æquitate, ratione, & humanitate: finite illud vivere. suo tempori servetur.

Eximia ad omnes ferebatur civilitate. Observavit aliquando submotam fuisse ab apparitoribus

tur-

turbam quæ confluxerat ad videndum, & consalutandum Cæsarem. Quare ad importunè officiosos: obsecro, inquit, sinite ut accedat ad me populus: non enim in Imperatorem electus sum, ut arcula, vel sipario claudar. Penè oblitum Majestatis reddebat Humanitas, adeo conde scendebat in omnes, ut consolaretur, & benefaceret. Etiam irâ commotus incitationem animi mansuetudine attemperabat. Omnia opera charitatis dulcore condiebat: vicissim charitate universorum colebatur. Sed & affabilitatem non deserebat majestas. Regum legati, ac Principes Imperij ad affatum Rudolphi tremere, & obmutescere sunt soliti. Ipse verò discutiebat trepidationem humanitate, & sale, sic dicam, regio revocabat obmutescentes ad vitam. Duo exterorum Principum legati ad alloquium convenerant; canus alter barbâ, & capillo niger, alter canus capillo, & niger barba. Animum utrique facturus ad perorandum Cæsar, quæstionem antea in aula motam de causa tanti inter capitis & menti utrinque pilos d scriminis in medium advocat, & si negotia feliciter expedire vultis, prius, inquit, edicite, quo casu factum putetis, ut caput mento non respondeat in colore pilorum. Reposuit alter cæsariem sibi multò ante natam, quàm barba cresceret; ideoque prius incanuisse. Subdidit alter tinctam fuisse abs se barbam frequentiùs, quàm capillitium, atque ita ex consuetudine bibendi acceleratam sibi humiditate

maturitatem, ac ſenium barbæ priùs, quàm capilli. Reſponſo feſtivè accepto Cæſar promptè auditos benignè dimiſit.

Pari quæ majeſtatem conſequebatur munificentia claruit Rudolphus. Præmijs obſequia ſibi ac Reipublicæ impenſa locupletiſſimis compenſabat: ſtipendia ut militi exhiberentur, ſingulariter curabat: ut qui officio ſuo cum ſatisfactione præfuiſſet, abiret ſine remuneratione non ferebat. Præ cæteris eos honorabat præmijs impenſius, in quibus capacitatem negotiorum, munerumque conferendorum experiebatur. Eum, qui â ſacris illi confeſſionibus fuit, non attentâ conditione natalium, quòd parentem haberet piſtorem, ad Archiepiſcopatum Moguntinum evexit, atque Imperij Electorem fecit. Plures ob merita commendatos eminentibus dignitatibus, atque Dominijs admovit.

Fortitudine incomparabili excelluit Rudolphus. Non vacat rememorari geſta in prælio ad Laam Auſtriæ oppidum contra Regem Ottocarum. In devexa ætate primi floris invictum robur retinuit. Burgundiam utramque poſtremis vitæ annis ad obedientiam & recognitionem Imperij revocavit. Mompelgardij civitate, ac regione in poteſtatem redactis ſeptuagenario major in hoſtes, ea virtute animi, ijsque viribus invectus fuit, quibus in florenti ætate impellere obſtantes cuneos inimicorum conſueverat. In eo conflictu occiſo

cui

cui insidebat equo, delapsus in terram multo tempore pedes pugnavit, cumque hostium multitudo invalesceret, avulsus â suis summa cum dexteritate pugnando cominus, ac retrocedendo in castra revertit. Quod dum facit, ut erat armis, atque ætate prægravis in propinquum aquæ vadum insilijt, insessaque, quæ fluitabat trabe, hasta pro conto usus ex hostium telis se eripuit. Redditus suo militi mox ad terram appulit, promotoque confestim exercitu penetravit in viscera Burgundiæ, cæde, ac vastatione urbis Vesontionis ditionem latè pervagatus. Expediti interim â Rege Galliæ Philippo pulchro legati accurrerant, nomine sui Regis comminantes Philippi in persona adventum, nisi ab ijs provincijs exercitum quantocyus Cæsar revocaverit. Risit ad minas Rudolphus, atque ad Legatos. Veniat, inquit, Rex Philippus: Præsto habet expectantem: Recipietur, tanquam qui non ad cupedias accesserit; intelliget, quàm vanum sit legem ferre armatis. Suggerentibus tamen, quod minus expediat, eo in loco hærere ex annonæ defectu, qui potentior hostium metu castra infestabat. Replicuit invicto animo Cæsar: nec istud facit ad suadendum recessum. si vicerimus, suppetet de apparatu hostium, quo vescamur: acti in fugam abundè relinquent, quod alendo exercitui sufficiet. Deficiente nihilominus annona, nec conspecto hoste, prior ipse rapas, ac leguminum radices vellere cæpit, & manducare,

exem-

exemplo commonſtrans naturam eo contentam eſſe poſſe, quod offertur. Imitati Imperatorem milites de ſubſidio commeatuum non cogitarunt. Adfuit interea cum milite Robertus Burgundiæ Dux, & Theobaldus Ferrentanus. In hos partem legionum Helvetarum immiſit Rudolphus, qui fuſis magna cum clade Theobaldi copijs, onuſti ſpolijs in caſtra Cæſaris reverterunt. Cogitabant perſiſtere, & vallo communire ſe Burgundi, donec Rex Galliæ ſuppetias ferret. Diſuaſit conſilium unus, qui non multo ante in Imperatorijs caſtris militaverat. Ne obſiſtite Cæſari, inquiebat, novi genium, fortunamque Rudolphi: ſine damno noſtro nos ille hinc non dimittet, in valla quæcunque prætenderimus, involabit. Itaque reveriti virtutem, nomenque Cæſaris misêre legatos, qui de pace tractarent. At Imperator nihil minus, quam de compoſitione cogitans, mandavit, aut arma illico ponerent, aut confligerent, aut imperata facerent. Poſtremum hoſtibus viſum fuit conſultius, & Burgundia ad obedientiam Cæſaris, & Imperij redijt. Incredibile videri potuit in Principe annoſo, & â pluribus bellis laſſo tantum animi, tantum in perferendis moleſtijs patientiæ etiamnum ſuperfuiſſe. Certè roboraverit animum longa propitiæ fortunæ experientia, & conſuetudo vincendi. Quatuordecim quippe prælijs præfuerat ſemper Victor. Inde Rudolpho per Univerſum mundum fama, ac veneratio comparata, cujus clien-

clientelam, & amicitiam non modo Christiani Principes, verùm etiam barbaræ gentes, Persæ, Moscovitæ, ac Turcæ missis legationibus quæsierunt.

Morte obijt, ut vitam egerat, felici. Imò ex morte piè obita fortunatior, quàm felix ex vita gloriosè transacta. Proficiscebatur Francofurtum procuraturus Alberto filio postea Imperatori, diadema. Iter agentem febris corripuit. Sensit illico occultâ vi finem laborum imminere. Quare expiata per sacram confessionem conscientia, acceptaque â confessario, quem semper unà deducebat, delictorum Dei nomine remissione, sacrosancto Eucharistiæ sacramento, sibi ad æternitatem viatico, instrui voluit; ut sacro illi mysterio imperium cum vita redderet, cui devotissimus semper vixerat, & â cujus veneratione augustalem dignitatem fuerat consecutus. Mox à cæpto Francofurtum itinere destitit, Spiram se deportari mandans, atque identidem succlamans: Eamus, eamus Spiram; ibi me Imperatores expectant. Sepulturam innuebat antecessorum Cæsarum, ad quos ibi sepultos, consors futurus optaræ quietis, corpore contendebat. Invaluit ægritudo, dum non longius Spirâ in loco Germershaim nuncupato substitit. Ibi post iteratam Sacramentorum participationem pijssimè animam Deo reddidit: Obijt anno millesimo, ducentesimo, nonagesimo primo; natus annos supra septuaginta: postquam â suscepto diademate Imperiali totos decem & octo

regnas-

regnasset. Imperator longè gloriosissimus; qui præclaris rerum gestarum monumentis Principum imitationem promeritus, belliducum admirationem consecutus, posteris in virtute participanda pulcherrimam hæreditatem reliquit.

CAPVT II.

Virtutes Imperatorum, qui Regum Hispaniæ prædecessores fuerunt.



Ubjungimus amplissimo virtutum choro, quem in se unum collegerat Rudolphus Imperator Austriacus, singularia earundem decora, quæ sparsim in rebus gestis aliorum ex Castellana, & Austriaca Domo Imperatorum resplenduerunt, veneratione omnium, atque in primis imitatione Principum dignissima.

§. I.

Alphonsus Hispaniarum Imperator, à virtute Iustitiæ illustris.

MUlti Reges Castiliæ titulo Hispaniarum Imperatoris compellati sunt. Accomodari maximè hoc cognomentum potuit Alphonso septimo,

mo, qui ijsdem ritibus, quibus Imperatores Romani in Germania inaugurantur, ijsdemque cæremonijs coronari se fecit. Tribus vicibus, & diademate semper dissimilis metalli fuit redimitus. Refert Julianus Perez, eum altera vice coronam argenteam suscepisse in urbe Legionis, tertiam & auream Compostellæ: ac propterea æque ab Hispanis atque etiam ab exteris gentibus, imo & Gallis pro Imperatore habitum, cultumque fuisse. Petrus Cluniacensis in literis ad summum Pontificem non Regem, sed Imperatorem vocat. Ipse demum Pontifex hoc ei nomen authoritate sua firmavit. Dignissimus fuit hoc cognomento Alphonsus, à demissione Christiana, atque à singulari dono Justitiæ per Hispaniam celebratissimus. Usurpaverat Alphonsus Arragonum Rex Alphonsi Imperatoris vitricus partem opulentiorem Castiliæ nulla restitutionis faciendæ spe relicta. Collegit copias Imperator, ut vis repeteret, quod ratio non impetrabat. Attamen malebat in Maurorum sanguine ferrum tingere, quam dedecorare illius aciem in pectore Christiano: ratus quantum gloriæ accederet à victoria de infidelibus, tantum laudis decedere ab impugnata in filijs Ecclesia Dei. Itaque Regem Arragoniæ priùs modestiâ, quàm viribus expugnare aggreditur. Mittit Legatos, qui demissè ab Arragonio, tanquam Patre, hæreditatem filio debitam postulent. Offert vicissim cum affectu promptissimo amorem

filia-

filialem, & suppetias, si quà vocaret, constantes. Consecutus fuit modestiâ, & demissione quod armorum foruna faciebat incertum. Placuit Aragonio virtus in hoste armato, fractusque ex considerata æquitate causæ, adeo temperanter rem suam agentis, mutavit retinendi alieni Imperij propositum, & privigno ditiones vi ac fraude nuper ademptas restituit. Addidit luculentiora præmia modestiæ regali divina retributio. Alphonso universam Hispaniam subdidit, Principes in ea Christianos ac Mauros, ut tributa penderent, ipsumque ut mandata acciperet Arragonium effecit. Obstupuit Ludovicus Galliæ Rex per ea tempora in Hispaniam appulsus, cum Toleti vidisset aulam tanto principum numero refertam, qui Alphonso Imperatori parebant, atque ad illum præpotentium in orbe Regum concursum evocati confluxeran. Non capiebat Urbs amplissima populorum multitudinem: Strata per campos inter tentoria agmina diffundebantur, omni insuper opulentia instructissima. Affirmabat Rex Franciæ nulli in mundo Regum parem aulam tum fuisse.

Justitiæ severissimus cultor Alphonsus fuit: hæc illius nomini famam, gubernationi gloriam contulit. Non ferebat vilissimo cuique injuriam inferri. Pari plausu celebrata fuit incomitati profectio suscepta in Galliciam causâ Justitiæ, ac triumphantis Cordubam accessus, cum urbem in deditio-

ditionem acciperet. Venerat à Gallæcia popularis implorate Regiam opem adversus nobilem, qui supellectilem misero ereptam, abnuebat reddere, & contempto edicto regio pergebat graviora comminari, si jure secum contendere supplex tentaret. Offensus improbitate facti, & iniqua civis miseri vexatione Rex, statuit ipse vindicare injuriam. Divulgata interim invaletudine, atque à negotijs publicis recessu, quàm celerrimè absque comitatu in Gallæciam advolat, mandatque è vestigio Nobilem illum præ foribus curiæ elisis fune faucibus appendi. Præstitis pro æquitate ejusmodi documentis frequentioribus magnâ lue Regnum purgavit, quam iniqua audacissimorum protervia solet invehere. Affirmabat Episcopus Palentinus ultra opus non esse per Castiliam lictoribus aut carnifice, quando jam omnis injuria exulabat. Ita Regis pro æquitate studium eam virtutem electionibus singulorum inserebat, factumq; ut profectio una in favorem causæ privatæ, cederet in publicam felicitatem, & communem divitibus juxta atque egentioribus fructum tranquillitatis.

§. II.

Alphonsus sapiens in Imperatorem Romanum electus à majestate, magnanimitate & sapientia commendatus.

ALphonſus X. cognomento ſapiens à Proceribus Alemanniæ in Imperatorem Romanorum electus animi magnitudine incomparabili claruit. Eius majeſtatem, & magnificentiam conteſtatæ ſunt nuptiæ regales, quas fecerat Principi Ferdinando de la Cerda, cui Blancam Sancti Ludovici Regis Franciæ filiam deſponſaverat. Excivit ad eam ſolemnitatem potiorem Principum maximorum per Europam partem. Interfuere Rex Granatæ, Eduardus Primogenitus Angliæ, Philippus Galliæ Delphinus, Petrus & Sanctius Infantes Arragoniæ, Fridericus Emmanuel, ac Philippus fratres Alphonſi: ejuſdemque tres filij Sanctius, Petrus, & Joannes, nec rarior cæterorum Principum Corona.

In illo nobilitatis & magnificentiæ theatro, apparatuum Regalium ſplendor, cum majeſtate ſumptuum, & conviviorum incredibili pompa certarunt. Proſtabant per compita lautitijs apparatiſſimæ menſæ, opimis dapibus undequaque inſtructæ: nemo adſtabat, qui cuſtodiret, nemo qui mercaretur: Singula primis occupantibus patebant, nequaquam ſucceſſione commeſtibilium deficiente. Patebant nummulariæ menſæ e quibus ab ærario Regio pecunia erogabatur gregatim depoſcentibus. Veſtiaria aderant inveſtiendis promptè, qui minus ornati comparebant, ſingulorum conditione ſpectata, & condigno habitu exornata. Pretia munerum quæ Principibus viris e-

roga-

rogabantur, tanto anteibant intervallo cætera, quanto ipsi eminebant universis. Ea resplenduit per eos dies Hispanicæ Aulæ munificentia, ut æquaverit majestatem populi Romani, cuius aliquando meminit Valerius Maximus: cui sicut abesse non poterat invidia tantum habenti, sic deesse non valebat gloria tantum donanti.

Majori sumptuum gravitate Regiam Constantinopolitanam prosecutus fuit Alphonsus. Infelici bello Imperatorem Orientis fusum, fugatumq; tandem in potestatem redegerat captivum Sultanus Babiloniæ. Lytrum exigebat pro detento immensum cui impar exsolvendo erat ærarium Byzantij. Imperatrix subsidium a Pontifice & Rege Franciæ solicitaverat, sed uterque non æquabat sumptuum necessitatem revocando in libertatem marito. Conscia magnimitatis Alphonsi in Hispaniam trajecit expertura Principem liberalitate parem suæ indigentiæ. Excepta fuit pro dignitate Personæ. Indoluit fortunæ Imperatoriæ Rex, consolatusque præsentem, promisit acceleratâ ope, viribusque ærarij universis procurare redemptionem captivi Cæsaris. Contigit, ut Imperatricem ad regias dapes una secum, ac cum conjuge accubituram evocaret. Excusabat hæc convivium, quòd voto concepto affirmasset, non assidere mensæ publicæ, donec quam quærebat exsolvendo lytro opem corrogasset. Adesse tamen orabat Alphonsus, ac fidere: decem dierum spatio

futuram compotem universæ pecuniæ: tandem per legatos se transmissuram Barbaro, conditionesque reponendi in libertatem Imperatoris pacturum. Stetit promissis Alphonsus, atque insuper invicta animi celsitudine postulavit ab Imperatrice, uti eam quam à Pontifice ac Rege Franciæ æris summam antea impetraverat, illico eisdem restitueret, alienis sibi impensis non placere suam liberalitatem adjuvari.

Expeditionibus animi magnitudini respondentibus claruit Alphonsus, literis æquè, ac gloria militari inclitus. Vendicavit à Mauris Regnum Murciæ ab urbe Lorca in Alicantē, & à Chinchilla Carthagenam usque vasta terrarum spatia victorijs emensus. In toga Lycurgum egit, pandectas statutorum Hispaniæ confecit, æmulatus gloriam Justiniani Imperatoris, qui legum Romanarum compilationem promoverat. Mathematicis disciplinis apprimè instructus princeps in ea doctrina sui temporis evasit, conditis quæ circumferuntur, & a nomine Authoris inscribuntur, tabulis Alphonsinis. Fama laudum tam Illustrium conciliavit Alphonso nomen per mundum ingens. Detulerunt illi Proceres Alemanniæ diadema Imperiale; à quo tamen recipiendo abstinuit, profectionem in Germaniam longa dilatione moratus, donec omnino desperato in eas regiones adventu Principes de alio substituendo cogitaverint. Videbatur fortunæ modum voluisse

luisse ponere, seu ex temperantia seu modestia amplificandæ majestatis, ne illius fortè favor tandem,ut assolet, sua magnitudine laboraret. At sapientiæ modum non posuit, cum in omni vita pietatis cultor, eandem constans in seram ætatem transmisit. Moriturus mandavit deferri corpus Murciam,charam sibi ac fidelem civitatem,cuius in sinu acquiesceret: cor verò jussit Jerosolymam deportari, contumulandum eo loco, ubi fons vitæ, Dei filius obierat.

Ut associatus amori divino testaretur affectum, quem cum mundi Redemptore in eas Regiones signatas mille cœli gratijs foverat: simul ut ostenderet, quo erga Passionem Christi Domini animo semper fuisset, cui cor, fiduciam, inclinationemque pronissimam vivens detulerat, ac moriens consecrabat. Nec insolitum fuit alijs Hispaniæ Regibus in fidei ac pietatis argumentum quærere locum sepulchri Jerosolymis, ubi corda apponerentur, futura signantiùs in manu Dei, ubi proximiùs cœli vestigijs admoverentur.

§. III.

Albertus Primus Romanorum Imperator Princeps fortis, ac Clemens.

ENituit in Alberto I. Imperatore, ab obtentis victorijs quamplurimis nuncupato triumphatore celsitudo animi, & ingenuitas mentis. Fortitudinem

titudinem cæterarum virtutum comitatu stipatam traxerat in mores. Religione in Deum, clementia in populum, veritate ad omnes, affectu in probos quàm inclinatissimo admirandus. Æstimare singula pro merito solitus, pretium singulare deferebat tribus hominum classibus: Gynæceo honestati dedito, clerico pietatem amanti, ac militi generoso. Osor erat summus callidorum hominum, ac veteratorum; non ferebat delatores, non nugivẽdulos, non bilingues: vires pietate firmabat. Documento sit, quod in causæ ac prælij conflictu cum Adolpho Imperij æmulo gessit. Occurrerat hic in acie inter confertos dimicanti, & nunc inquit concedes cum victoria usurpatum diadema. At Albertus non minus generosè quàm piè: Sicut fuerit, inquit, voluntas in cælo, sic fiet; mox intorta hasta adversarium in oculo ferit, supinatumq; obtruncat. Non impetus armorum, non martius furor fecerat excidere pietatem, & modestiam à pectore Alberti; etiam inter iras serenam ad divina mentem servabat. Victor tùm, & asserto sibi Imperio, ad cuius diadema jam tertium evocabatur, maiora in seipsum victoria est usus. Vetuit quàm primum, ne ultra sui milites stragem facerent, nec profligato duce, jamque ad internecionem festinanti, atrociùs incumberent: eratque in eo discrimine hostis, ut præter militem gregarium, etiam e Comitum eminentiori nobilitate septuaginta omnino perierint: deleri proinde universos

versos non superfuerit difficile. Ita laudes Julij Cæsaris æmulatus fortitudinem mansuetudine, & clamentia attemperavit. Viennensibus aliquando infestus nunquam illis placatior evasit, quàm cùm habuit ad pedes abjectos, ac post desperatas eorum res veniam deprecantes: Admisit tum supplices, atque injurias cum maximé ulcisci posset liberaliter condonavit. Cæterum in prælijs, quotquot gesserat, gessitque complura, semper victor, triumphatoris cognomentum promeruit.

§. IV.

Fridericus Pulcher Rom. Imperator, Pius, fortis, verax, moderatus, affabilis.

HAbitabat in Friderico Pulchro pulchrior anima; corporis lineamentis ad decentissimam simmetriam compositis. Mentis generositas hunc Principem edocuit fastidire ac spernere diadema, quod propinquitas sanguinis, quod Pontificius assensus, quod arma & virtus militaris contulerant. Bis victor adversus Ludovicum æmulum, tertio prælio ex calore dimicandi præcipitatus in manus hostium, captusque, fortiora dum vinceretur, edidit specimina, quàm fecerat sæpiùs triumphator. Adductus in conspectum Bavari seu prudentiæ, seu constantiæ argumentum præstitit nihil loquendo. Detentum in captivitate solici-

tavit homo ignotus, ut oblato equo uteretur, ac profugeret: suspicatus artem magicam Fridericus libertatem & Diadema talibus adminiculis comparandam rejecit: factoque signo crucis impostorem cum equo fecit evanescere. Recusata tamen libertas malâ fide tùm capienda, non multò post sinceriori ex causa successit. Compulsus à Leopoldo Friderici germano Ludovicus captivum honorifice dimisit. Convenêre, ut ambo titulo Imperatorio pergerent cognominari, ambo imperio simul præessent, ambo pari auctoritate uterentur, atque in edictis quæ alteruter ederet, præfigeret sui nomen collegæ: Duo dicasteria Imperialia constituerentur, quorum sanctionibus similiter alterius in altero dicasterio Cæsaris nomen præmitteretur nomini isthic imperantis. Invicem auxilio essent: invicem ut fratres se colerent: neuter altero non conscio novorum feudorum institutionem faceret: Injuriæ alterutri factæ mutuis suppetijs vindicarentur. Ita concordasse referunt Wolffgangus Lazius, Joannes Cuspinianus, Gerhardus Rhoo, aliique. Pacem amicitiamque firmavit inter divina officia ad aras participatum ab utroque par Hostiæ sacrosanctæ. At Fridericus inconstantiam fortunæ perosus, & tædio mundanæ vanitatis, abstinuit imposterum à publico, receptusque in ditiones hæreditarias ad bonam mortem se dispofuit, relictis in totum fascibus Ludovico Collegæ; quæ occasio fuit scriptoribus

ptoribus nonnullis affirmandi, volente Bavaro renunciasse Austriacum diademati, præstitoque juramento de non repetendo solio dimissum; fuisseq; laudatissimam in Friderico juratæ sponsionis observantiam, qui exinde de administratione Imperij nihil ultra cogitaverit. Verum aliter referunt acta Joannis XXIII. summi Pontificis, quibus post sublatam captivitatem affirmatur Fridericus in Italiam evocatus, ut ritu antiquo à Christi in terris Vicario tanquam legitimus Impêrator coronaretur: Eum tamen gustatæ jam tranquillitatis amore detrectasse honores oblatos, atque in proposito dimittendæ creatæ vanitatis omnino perseverasse. Quare deinceps de felici ad æternitatem transitu sollicitus locum sepulturæ designavit, atque ei exit in Carthusiensium cœnobio, quod sua munificentia prius fundaverat. Abstinentiæ in victu fuit admirandæ, penè ipsis Carthusiensibus inimitabilis. Vix manducare aliquando ac bibere credebatur. A delicijs, & voluptatibus singulariter abhorrebat, ignotum sibi prope mundum faciens, & ipse sua voluntate jam quoque mundo ignotus. Hebetudinem oculorum in captivitate contraxerat, à jejuniorum & lachrymarum frequentia. Anachoretam tum egisse visus, postea monachum omnino induisse videri poterat, nunquam tamen posita Maiestate. Ad ultimos usque vitæ dies amabatur & colebatur à cunctis, ob liberalitatem, & benignitatem, quâ fere-

batur in omnes. Communi fama celebrabatur, neminem Friderico à servitijs fuisse, qui opulentior non recesserit.

§. V.

Albertus II, Rom. Imperatori Magnanimus, fortis, ac verax.

Supra multum propitiæ favorem fortunæ liberalior virtus Albertum in apicem gloriæ evexit. Non extitit Princeps, quem Imperia tanto ambitu quærerent, non fuit, qui minus eorum fulgore auferretur. Eodem anno ad Bohemiæ, Hungariæ, atque Imperij Romani diadema vocatus est. Quod per longam ætatem alij ambiunt, nec obtinent, hic etiam tergiversando intra anni spatium suscipere rogatus fuit. Prius fortunæ, quàm sceptro manum, curasque applicui. Aderant Viennæ Legati, qui delatum ab Electoribus Imperium supplices ut acciperet, deferebant. At enim verò Albertus: Habeo solicitudinum satis, inquit, in duorum regnorum, atque Provinciarum hæreditariarum administratione promovenda: Imperij accessio importunè curas multiplicaret, quandoquidem priores rebus pro dignitate gerendis totum occupant. Ago proinde gratias pro oblato diademate Cæsareo: oculos in alium conijciant Principes, qui sufficiat tantæ moli cum satisfactione

ne gubernandæ; Ite,& quam seriò concepi voluntatem Electoribus renunciate. Hæsêre attoniti ad dicta legati, cæteroquin à raro Principe inopinatum hoc responsi relaturi. Noverant interea promisisse Albertum Hungaris,minimè diadema Cæsareum, esto præsentaretur, ab illo acceptandum, quò præsentior Regno maneret. Itaque ad Hungaros digressi precibus egêre, ut Albertum Imperio, & Germaniæ faverent, atque obligationem ex promisso contractam remitterent. Tum impetrato Procerum Gentis assensu redeunt ad Albertum; Instant quà supplices, quà argumentis fulti, orant, ut coronam capiat, ut Germaniæ universæ expectationi ne desit, ut communi bono, quod eo imperante sibi pollicebantur omnes, in caput accedat. Emollivit perorantium energia obfirmatum ad modestiam pectus Alberti, qui inundantibus per lachrymas oculis non ultra sustinuit adesse colloquio. Recessit itaque in interius conclave, & cum animo suo meditatus, quid debeat bono publico, quid supra vires hæc resistentia valeat, tandem ad oratores reversus annuit postulato, & ratam habuit Electionem. Dignior Imperij fastigio, quòd detrectaret ascendere, meritusque ab Imperio suspici, quod gloriosè despiciebat.

Animi maximi Princeps, & excelsæ admodum mentis fuit Albertus;sed magnitudinem spirituum heroicorum habebat in potestate: ita ad bellandum

dum promptus, ut ad paciſcendum pronus: ita moderatus, dum conſulebat, ut efficax dum imperabat. Erat illi, tùm Archiduci, cum Bohemis bellum. Exercitu comparato rogavêre proceres, quem copijs Ducem præficeret: ſi alium imperare militi oportet, inquit, cur me Archiducem Auſtriæ cenſeatis non video. Nulla illi pompa in comitatu, non luxus in veſtitu, non fulgor in apparatu: collum militari munimento obarmatum, atque illud pretiosè ab auro, gemmisq; inſtructum oſtentare gaudebat, teſſeram dignitatis Imperatoriæ hanc eſſe ratus. Enſem non dimittebat â corpore, aut præferre manu, aut lateri affixum deferre ſolitus. Ad pericula intrepidus, inter medios hoſtes dimiſſa caſſide, par gregario cuique, ſolo gladio rem agebat: venationibus ferarum deditiſſimus, quod eæ militiæ ſpeciem aliquam præ ſe ferrent, exiſtimabat occupationum id genus Principi, cum maximè convenire: Expeditius omnem aliam animi relaxationem ſolitus dimittere, quam exercitium Venationis. Deſideraverat in Amuratem Turcarum Imperatorum pugnare, ſed apparatui ſubtraxit ſe barbarus. Interim morte præpropera obijt Albertus: in vicem ſpei maximæ relicto apud univerſos luctu ingenti. Ut ad obitum Chriſtiane inſtituendum ſe componeret curas Regnorum, & Imperij illico dimiſit, eâ fecilitate manumiſſas, quâ difficultate ſuſceptas. Morientis ſupremæ voces fuerunt: O Deus æterne, atque omni-

omnipotens, ignosce illis, qui causa meæ mortis fortè fuerunt, quibus ego quoque ex animo ignosco, meque, ut supplico, misericorditer tu respice.

§. VI.

Fridericus III. Imperator, Pacificus, Prudens, Iustus, & pius.

FRidericus III. quinimo potius quartus, vitæ laudatissimæ Princeps extitit. Hunc non modo mortuin Innocentia sed & virtutum singularum frequentissimus comitatus dignissimum augusto diademate demonstravit. Si pietas, Justitia, pax â reliquo mundo pulsæ exulassent, penes Fridericum salvæ resedissent. Imperavit annis quinquaginta tribus in summâ tranquillitate; Hanc prudentia & probitas Imperantis conciliavit. Neque enim minus opportunitate consilij ad pacem conservandam, quam necessitate armorum ad bellum gerendum, tutandosque fines est opus. Imo bonarum legum viribus Imperia felicius tranquillantur, quam armorum strepitu. In bello valet fortuna, in pace operatur prudentia. Debuit Imperium sua Alcyonia Prudentiæ Friderici, qui universum Dominatum ad regulas rationis, & æqui componebat, ad quarum momenta prius ipse animum conformaverat. Offerebatur Corona regni Bohemiæ capessenda, sed non sine bellorum motu.

tu. Ergo maluit alteri, qui potiori jure ad Sceptrum vocabatur favere. Hunc fœderatum sibi, se justitiæ effecit, & pro coronæ gloria, incinctus est gloriæ corona. Iterum gubernatio Regnorum simul Hungariæ & Bohemiæ pro hærede minorenni ingerebatur, non sinè titulo competentis Patrocinij. At iterum discussit lubricum onus Fridericus: sufficere ajebat sibi curas moderandis ditionibus avitis, atque Imperio: periculosum esse negotium pro altero tractare aleam: Proceres deligerent è medio nationis viros probos, qui moderatores publicæ rei, & præceptores forent Regij adolescentis: sibi non vacare, ut intricetur curis alienis. Non ita faciunt aquiescere regna, qui juri dicundo præesse gestiunt, qui immittere falcem quaquaversum student. Pax Friderico amorem populi, & plausum exterarum nationum contulit.

Plus illi existimatio Prudentiæ, quàm complurribus cæterorum Principum bellicæ laudis commendatio gloriæ comparavit. Bis in Italiam profectus, continuum penè triumphum egit: ab omni parte acclamationes, & plausus. Una populi Romani, & concors vox: Vivat, vincat Fridericus Pacificus â Deo coronatus Imperator. Nec tamen â bellis omnino vacavit Fridericus. Interceperant Belgæ filium Maximilianum, & Brugis detinuerant: advolavit eò Cæsar cum triginta millium exercitu: eripuit captivitati filium; & seditiosos compescuit, usus dexteritate, & efficacia ad-

admiranda Pro magno Prudentiæ adminiculuo cooptaverat impenetrabile factarum designationum secretum, altissimumque agendorum silentium. Perspicaces ad omnia Itali, unum Cæsarem perviderí non posse, nec arcana illius penetrari confitebantur. Non auditus fuit ullū unquam decepisse; plurima verò consultissimè animadversus fuit dissimulasse. Ajebat: valde decorum accidere Imperanti, si audiens non audiat, & videns non videat.

Amicus literatorum, eas duntaxat literas impensiùs amabat, quæ gubernationem perficerent. Poëtarum proinde & oratorum ingenia luxuriantia non habebat in pretio, nec artibus alijs curiosioribus attendebat. Linguam latinam apprimè calluit, eâque plurimum delectatus potissimùm loquebatur. Sermo illi nōn affectatus nec exaggeratus. Dicebat: Reges & Principes operari, ac facere; cæteros loqui. nec libris Juris-consultorum admodum attendebat: quos affirmabat allegationibus atque expositionibus sæpe fucum facere æquitati. Ferebat sententiam de plano, plerumque juxta dictamen luminis ac prudentiæ naturalis, amoto strepitu concertationum legalium, ac textuum conflictu. bene nihilominus promeritus de jure scripto, volumen de feudis confecit, nova methodo ordinem, dispositionemque materiarum feudalium accuratè complexus. Afficiebatur conversationibus eruditorum, homi-

nesque

nesque doctos amanter fovebat ; exosos ex adverso habebat moriones & parasitos , nullas sibi delicias esse asseverans ex commercio ignorantium,aut ex familiaritate superborum.

Axiomata præseferebat prudentiâ & Religione referta. Rogatus in quos homines viveret propensior. Eos inquit impensius amo , qui Deum amplius, quam me diligunt. Constitutus in rebus adversis , ajebat: grandis felicitas posse oblivisci quod emendare non valemus. Quæsitus ; quæ homini fortuna acceptabilior queat evenire ; respondit : si bene moriatur. Decumbens à pedis ægritudine : non video , inquit ; quæ differentia Cæsarem inter , ac civem intercedat : hoc tamen scio,feliciorem esse civem, cui sanitas;quàm Imperatorem, quem infirmitas tenet. Agebat per Oratores Ludovicus XI. Rex Franciæ, ne Cæsar cum Burgundiæ , & Flandriæ Ducibus pacisceretur , quin potius Belgio incumberet,& id ad Imperium revocaret , se quoque Burgundiæ repetendæ non defuturum. Respondit Fridericus traducto à fabulis argumento ; tres ajebat , in cauponam divertisse , qui absumptis epulis , cum unde solverent , non haberent , polliciti sunt grassantem in vicinia ursum conficere, atque ex pelle divendita facere tabernario satis. Pacta conditione abijsse in sylvam , sed non æque sustinuisse belluam factam obviam. Alter enim versus in fugam , alter in arborem eluctatus , tertius animosior procubuerat in ter-

terram, retento quà posset spiritu pro mortuo delusurus feram, atque ita evasurus incolumis. Astum huic profuisse. Adfuisse Ursum, pertentasse sensuum meatus, nec observatum respirare dimisisse ut cadaver: sensim verò recurrente in sylvam bellua resumptis animis convenisse socios: mox eum qui ab arbore scenam inspexerat quæsijsse protinus, quid in aurem procumbenti Ursus insinuaverit? hunc verò respondisse: suasit, ne imposterum pellem Ursinam cogitemus vendere urso nondum occiso. Non addidit apodosin conclusionis manifestæ Cæsar, sed proposito argumento oratores dimisit.

Facili accessu admittebat omnes, & audiebat, cupidus & mederi lamentis, & nosse vulgatam super æquitate sua existimationem, & prætensionibus singulorum accomodare rationem. Nec modo affluentes promptus accipiebat, sed & dissitos advocabat, non facto conditionum discrimine, non diminuta versus quemquam agendi facilitate. Si fortè Majestate territos vox, animusque defecisset, ultrò invitabat erigendo, & suggerendo copiam se expectorandi. Fidei, ac veracitati tribuebat plurimùm. Ajunt extra inaugurationis solemnitatem nunquam ex Friderici ore fuisse auditum juramentum. Cujus religiosissimus cultor nihil non agebat, ut sanctè ad momentum singula observarentur. Memor inter alia se jurasse, quod è bonis ad Imperium spectantibus nihil alienare

I vel-

vellet: nulla arte, nullis bene meritorum officijs, nullà in quemquam privata propensione induci potuit, ut aliquando in morem prædecessorum Cæsarum alienandum ab Imperio quidquam indulgeret. Affirmabat, parcum, & illiberalem videri se malle, quam esse perjurum. Marchio Estensis Mutinensem Ducatum postulabat, annuam vicissim pensionem perpetuam pollicitus, pendendam Imperio: nullatenus annuisset Fridericus, nisi proceres multis rationibus docuissent cessionem eam Imperij juribus minimè præjudicare, convenientem Reipublicæ, atque utilem fore: Imo Mutinam, ac Rhegium civitates Cæsari haud subesse, ideoque non diminui, sed accrescere ex pensione oblata Imperij fortunas.

In administranda Justitia accuratus, in juribus privatorum tutandis vigilans, ne ipse ulli incommodaret mortis ac reddendæ tandem Deo rationis memoriam pro argumento prætendebat. Sæpius in eas voces prorupit. Væ vobis Principes, quia quales in subditos estis, talem in vos fore Judicem supremum in morte experiemini. Hæc consideratio non modo æquitatem, sed & clementiam persuadebat Friderico. Cives Viennenses audacissimè in illum protervi, etiam obsidione cinctum in palatio concluserant. At postliminio resipiscentes & affusi pedibus deprecabantur veniam, familiarem, nativamque Austriacis Principibus Clementiæ Virtutem invocantes. Placatior

Fri-

Fridericus; magis, inquit, famæ, quam suppliciorum mihi cura est. Ite & fidelitatem denuo jurate mihi, atque hæredibus, & vivite vitam, quam condono. Acceperat ab indicio complurium incolas designatæ civitatis intemperantius de Cæsare colloqui. At ipse nihil motus: finite, inquit homines liberè loqui, in libera civitate. Patientiæ documenta dedit eximia. Intellexerat è Primoribus quendam, cui beneficia complura contulerat oblitum gratitudinis debitæ seditionem moliri. Nullatenus commotior affirmavit, mirum esse, quod tantæ existimationis homo indignũ aliquid præcipitantiùs faciat suorum majorum gloria. Constantia & æquabilitate animi fuit indicibili: utramque rectæ conscientiæ securitas confirmabat. Iter per Helvetios agens, quos ob raritatem sui comitatûs poterat, ut dudum offensos, formidare, non territus progrediebatur; monentibus de periculo, & suadentibus copiosiorem ad latus frequentiam, respondit. Mea me innocentia proteget. Erant, qui in Germaniam ab Italia reducem hortabantur ab aditu certæ regionis, ut caveret, insidias isthic & dolum parari. At Cæsar; nequaquam, inquit, fidem meorum suspectam habeo, hæc mihi adversus quodlibet periculi est munimen.

Passiones animi habebat in potestate. Subegerat in Hungaria ditionem Günsiensium. At postea: multum operæ, inquit, præstitimus in

hoc populo subjugando; plus præstabimus, si victores hostium, cupiditatibus quoque nostris imperaverimus, atque animum ab avaritia, cupiditateque vindictæ represserimus: Sinamus debellatos vitâ, & facultatibus pristinis frui. Minus studij in accumulandis opibus collocabat. Totus in reverentiam, ac timorem Numinis intentus. Tutor Ladislai Regis Hungariæ existens, non audivit consilia importunè solicitantium, ut quâ viâ facile posset Ladislaum è medio tolleret, atque Regnum Hungariæ sibi assereret. Tanti, inquiebat, non facio Regna, & opes, ut propterea peccare vel cogitem, vel ausim. Delectabatur animi relaxationibus honestis tantumodo, ac fructuosis. Comœdias audiebat religionem, & virtutem repræsentantes: non capiebatur morionum levitatibus: intelligens aulicorum plures saltationibus distineri: febri, aiebat, mallem concuti, quam perdere tempus inter similes vanitates. Suggerebat hæc axiomata Friderico usurpata à teneris moderatio, ingenita honestas, & circumspectio, ne qua ratione in dignitatem Principis peccaret. Cum in Italia ipsi, atque Imperatrici conjugi passim per urbes, & oppida frequentissimæ solemnitates compararentur, accidit ut à Vico quodam prodiret obvius chorus puellarum, sed petulantius indutus, nec decenter tibias coopertus. Illico ad Imperatricem conversus Fridericus: Abeamus hinc, inquit, chorea hæc non virginum, sed

me-

meretricularum videtur esse. Florum, & hortorum culturâ impensius delectabatur, imitatus Regum aliàs consuetudinem, ut Attali, Hieronis, Jubæ, Archelai, Antonini Imperatoris, aliorumque. Conquisitas itaque cum delectu diversarum specierum plantulas procurabat; exactam prius illarum naturam, & qualitates habens perpectas, multis in eo genere physicis ac botanicis præstantior visus. Vitæ, victusque temperantiâ insignis, contentus frugali apparatu mensæ, abstinentior à cupedijs, & sobrietati maximè intentus. Transmisit exemplo suo easdem in Eleonoram Conjugem è Regibus Portugatliæ natam virtutes. Suaserant Medici, uti Imperatrix ob permutatam cum æstuosiori Lusitanica in Alemanicam regionem, tanquam ad suscipiendos liberos futurum opportunius vinum, posthac biberet. Ut audivit rem constitutam Imperator, accito Ænea Sylvio, qui deinde fuit summus Pontifex; Abi, inquit, & Imperatrici renuncia, magis mihi placere conjugem sterilem, quam vinibibam: si me amat, à vino abstinebit. Prudentissima Eleonora replicuit. Dicite meo Cæsari, vitâ mihi chariora semper fuisse eius imperia, sed si usum vini imperasset, potius fuissem electura mortem, quàm mihi à teneris charan hanc dimissura abstinentiam.

§. VII.

Maximilianus I. Imperator, fortis, castus, modestus, justus, affabilis, liberalis, pius, & charus.

MIgrasse in Maximilianum gratias omnes dixeris: Virtutes quoque in pectus abijsse. Ita universæ ab actionum gloria, atque ab heroica compositione corporis aspirabant. Nemo illo dexterior in experientia armorum: nemo expeditior in usu. Armatus ad omnia promptior, ut inermium quisque. Libratione simplici insidebat equo nullo stapedis usus ministerio. Machinarum, & operarum militarium ut peritissimus inventor, ita in ijs artificum cultor. Cujuscunque ex his instrumenti etiamnum Adolescens conficiendi primùm ut observabat artem, illico etiam conficiendi involabat. Erat ingenij vivacissimi, & memoriæ ultra modum tenacis. Majestate vultus venerationem occupabat omnium. Incessu gravis: sermone ad pondus & energiam conformato, tota sensuum, orisque conformatione venerandus.

Ab Adolescentia virtutum studia in seram ætatem transmisit. Prima earum pietas in Parentem enituit, cui obsequentissimus semper vixit. Amore in illum ferebatur constantissimo, nunquam visus paternæ voluntati incommodasse. Ad mandata æque, ac nutus attentissimus nihil omittebat,

quo

quo placitis illius ſe attemperare poterat. Mortuum plurimis exequiarum impenſis coluit: proſecutus æquè ſingulari eum veneratione ſublatum, ac fuerat viventem complexus. Erat in Maximiliano innocentis verecundiæ amor, decens modeſtia, ſui in ſemet cauta collectio, virgineus candor. Tanti animi, ac generoſitatis princeps æquabat ex pudica vitæ compoſitione virginem, imo non erit locus exaggerationi, ſi dicamus ſuperaſſe. Nemini poſita veſte, aut minus decenter coopertus unquam ſe videndum præbuit; nemo teſtis actionis minus decoræ eſſe potuit; usque adeo etiam neceſſitatibus humanis non ſuſtinebat intervenire alienos aſpectus. Neminem in conclave admiſit, qui accubituro veſtes detraheret, neminem qui abeuntem â lecto indueret. Clauſis, obſeratisque oſtijs ſolus ſibi, atque huic miniſterio ſufficiebat. Providit quoque in morte, ne nudaretur, mandavitque, ne mortuo ſibi femoralia, aut tibiale inducerent, ſed involutum linteis componerent in ſandapilam. Ex modeſtia adeo ſtudioſa facilè liquet, quam caſtè vixerit: cum præterea nihil admodum cibo, ac potui, intemperantiæ irritamentis indulgeret: ſimul cum integritate ſanitatem corporis validam, firmatamque conſecutus. Plurimùm delectabatur ſcientiarum noticia, atque eruditione ſapientium: cum his familiaris, in hos munificus, inter hos liberrimus converſabatur. Ajebat vel ideo ſe in pretio tales habere, quod

quod delecti essent â Deo, qui in populo eminerent. Incitabat illos, atque animabat, quà verbis, quà præmijs, ut in eruditione, ac sapientiæ studio proficerent, ipseque suggerebat argumenta & ministrabat otia, quibus rem litterariam promoverent. Nec deerat interdum proprijs inventionibus in chartam conjectis, quas eisdem expendendas, imo emendandas committebat. Communicabat cum illis negotiorum curas Imperalium, quodque a publico suppetebat tempus impendebat conversationi cum literatis, ac librorum evolutioni. Modo arcana scripturarum ac Theologiæ conferebat, modo Philosophiæ, Astrorumque scientiæ, ac Mathematicis incumbebat. Modò historijs, sacræque Principum antiquitati evolvendæ vacabat. Fuit Princeps disertissimus: pari felicitate idiomatum multiplicium gnarus. Loquebatur expedite Alemannicam, Gallicam, Belgicam, Italicam, atque in lingua latina admodum eleganter. Stupebant ad responsa sapientissima Regum Oratores, atque in dietis Imperialibus Electores, ac Principes oratione Maximiliani plurimùm delectabantur. Eleganti prosa, ac versu acta, & gesta propria conscripsit, naturam item, & vires nonnullorum animantium explicuit. Fuit expeditissimæ Eloquentiæ, ac tanto amplius prodigiosæ, quod in pueritia impeditioris linguæ, usum loquendi per novem, & ut alij referunt, per annos undecim laboriosius fuerit consecutus.

Nec

Nec modo se facilem eruditis præbuit, ut a cæteris videretur remotior. Pro lemmate in tabulis, atque ore circumferebat: veram charitatem visa proximi cujusque necessitate, non posse preces expectare, sed illico solere succurrere. Adeo non attendebat congregandis pecunijs, ut quorundam reprehensionem retundens diceret: non ideo Imperator sum, ut præfectum, custodemque ærarij agam: homines curæ meæ commissi sunt; Quod si ab his divertens a divitijs capiar, ex Imperatore servus, ac mancipium evaderem. Inaudierat nobilem quendam privatarum facultatum inopia laborare. Ut hominem ad fortunam meliorem erigeret, statuit admovere muneri, in quo ad præmia consequenda posset aptari. Misit itaque ad exigendam centum millium florenorum summam, debitam Cæsari in urbem quandam Imperialem. Redijt homo cum argento plenè exsoluto: at in ærarium non nisi quinquaginta millium numerum intulit? Præfectus ærarij observato æris defectu Imperatorem monet. Hic virum nobilem accitum jubet causam dicere, eccur pro integra, dimidiam pecuniæ portionem tantummodo in arcam intulerit. Ita inquit ille factum scio: attamen confectis de more rationibus dati, acceptique, crediderim me universam pecuniam exsolvisse. Neque tunc ultra addidit Maximilianus. Interim redit ad Imperatorem thesaurarius, queritur ab homine diminutum æs, nec rationes negotij adhuc confe-

ctas. Revocatum illum jubet Cæsar rationes postulatas edere. Respondit Nobilis: non abnuo rationes conficere: at imperitus sum in arte supputandi: desidero, ut Majestas Vestra gnaros ejusmodi operum, Præfectum imprimis ærarij, ac Fisci Præsidem mihi accommodet, qui â multa experientia similium instructi edoceant me artem, quâ conficere computum tanti momenti cum fructu Majestatis Vestræ ac meo possim: Intellexit Cæsar, quo tenderet ille, & ingenti, quo vivebat, animo, simul misertus hominis paupertatem applausit dicto, ac liberum â cura rationum dimisit. Habuit aliquando Maximilianus in ditione sua hospites Reges ternos, Poloniæ alterum, alterum Hungariæ, ac tertium Bohemiæ. Rara in terris summorum, ut in Cœlo planetarum conjunctio. Omnes munificentiâ, quæ decebat, Imperatoriâ cultos, honoratosque accepit, peractisque curis publicis, in quas convenerant, fecit cum Cæsareæ existimationis splendore reverti.

Aberat ab animo Avaritia, in quem ambitio non penetraverat. Uladislao Regi Hungariæ non erant filij. Proceres desperatam â Regina sterili successionem suo quisque capiti quærebant. Rex, ut ambitionem audacium, spemque improbam compesceret, vocat Cæsarem in Hungariam, & coronam offert. Dum exercitum præmittit Maximilianus, Regina ferre uterum nunciatur, ac subinde masculum parturivisse. Aderat jam Cæsar, sed mi-

minimè turbatus, imo aggratulatus Regi Hæredem, eo ipso quem adduxerat, exercitu proceres ad obsequium, atque homagium Regi novo præstandum compulit, mox depulso armorum civilium metu, ac tranquillitate revocata militiam omnem ab Hungaria revocavit.

Clementia ad proportionem magnanimitatis se efferebat. Monentibus ut merita pœna plecteret contumaces, ac seditiosos: Condonemus, inquiebat, offensam, ut cum iteratò rebelles fuerint tumultuati, iterum habeamus, unde possimus ignoscere. Venerant proceres, ordinesque Flandriæ, ut deprecarentur Cæsaris Clementiam, & veniam impetrarent super motibus, ac seditionibus nuperis, in ipsum concitatis. Tum Maximilianus: Ignosco lubens singulis, nec jam ullius injuriæ memini; statimque oblata dextera humi prostratos allevavit. Provolutus ad Cæsaris genua Philippus Ravenstainius humillima corporis, animiq; compositione agebat gratias, quòd admissus in conspectum sperare offensorum indulgentiam posset; pro qua etiamnum supplex rogaret. Cui Cæsar: novi inquit, quid postules; jam pridem ex animo offensam abstersi & condonavi, iterumque remitto, quidquid peccatum abs te fuit. Expugnabatur castrum Viennensis Civitatis infessum ab Hungaris, primusque ut solebat Maximilianus, in fronte pugnabat, & inter dimicandum vulnus acceperat in pectore. Castro in potestatem redacto, deditio-

ditione acceptos hostes vulneris, atque offensæ oblitus amanter, clementerque, contrà quam meruissent, dimisit: addiditque, dum confligerent fecisse illos, quod viros fortes oportebat: Suæ modo Clementiæ esse, in subjugatos minimè atrocius animadvertere.

Fortitudine bellica clarissimus, prælia, & conflictus, quibus quàm plurimis adfuit, aut præfuit, gloriosè semper illustravit. In altero contra Gallos animadverso peditatus inclinantis periculo; ab equitatu, quem ducebat, avolans conjecit se in pedes, ductorque trepidantium aciem erexit, vicitque. In altero stitit equitatum trepidantem, & respicientem ad fugam: nam commixtus in fronte dimicantibus, invectusque in Alexandrum Poritonium adversæ partis Ducem, hunc lanceâ confixit, promotisque suorum animis operosam victoriam retulit, summo periculo tertiùm defunctus.

Respublica Veneta confisa viribus, quas tùm in Maximilianum parabat, more apud Romanos quondam usurpato miserat caduceatorem, qui bellum denunciaret, his usa verbis: senatus, populusque Venetus Maximiliano bellum indicit. Intrepidus ille adhæc. Ite, inquit, & cum libertate bellum gerite, quâ indixistis. Fama refert scriptorum literis commendata Maximilianum sui temporis heroum in bello Principem fuisse. Quæ existimatio tanto gloriosior est, quanto ea ætas in arte militari fortissimis Imperatoribus claruit, è qui-

quibus fuere Ferdinandus Catholicus, Emmanuel Rex Lusitaniæ, & Alphonsus Albuquercius domitor Indiarum.

Magnanimus in omni fortuna, noverat agere, & pati fortia. A Brugensibus seditiosis captus, atque indignè tractatus, insuper affundentibus oleum flammæ Gallis, modo propè condemnatus mori, modo lacessitus injurijs: constanti nihilominus vultu intrepidus, nihil unquam Majestate & fortitudine ingenita gessit indignum. Trepidabant ad aspectum illius, qui ceperant, & venerabantur, qui tenebant captivum. Non indulgebant videndum populo rebelles, ne captus aspectu Principis in favorem emolliretur, & solutum â captivitate vellet. Imterceperat Rex Galliæ Carolus desponsatam Maximiliano Ducem Burgundiæ, abduxeratque invitam, & compulerat vi ad renunciandum primis Sponsalitijs, indignitate facti etiam inter Gallos improbata: Insuper Margarita Maximiliani soror, Carolo propediem nuptura, jamque in Franciam deducta, remittebatur ruptis sponsalibus in Germaniam. Principibus Imperij factum detestantibus, invicto animo nubem â fronte discussit Maximilianus. Ipso die, quo infandum facinus per nuncios acceperat, hastiludio, exercitijsque militaribus præparatis adfuit, ex dissimulata injuria gloriosior, quam fuisset ex dolore prodito.

Humanitate in omnes profusus, nemini se negabat,

gabat, qui alloqui vellet. Trepidos ad Majestatem Principis prior occupabat, serenabat turbatos, timidos faciebat audere, & eloqui: interdum obambulans cum accedentibus, responsa interrogando præveniebat. Ad obvios minoris fortunæ præmittebat familiaritatem; & offerebat libertatem disserendi: tum auditos benignè ac promptè dimittebat: affirmans debere subditos ab alloquio & præsentia Principis discedere semper hilares, ac contentos.

Veritatis amantissimus, respondebat fidei subditorum fide integra & constanti. Pro dimisso à Brugensibus remanserat obses Philippus Clivensium Dux. Hic Maximiliano nondum Cæsari: oro, inquit, serenitatem vestram, edisserat candidè; num pacta, vi equidem extorta ab hoste, jurata tamen observaturum se sincero animo proposuerit, ita namq; rebus ego quoque meis prospexero. Reposuit Princeps: observabo, inquit, jurata, & complebo, neque aliter Regem agere convenit.

Pietatis in Deum operibus clarus, eximios inde fructus retulit. In prælio ad Polangiacum oratione milites ad rem fortiter gerendam hortatus, fiduciam victoriæ non repositam in viribus, sed in ope divina, qui non esset defuturus æquitati causæ, pronunciavit, jussitque universos ter procumbere in genua, & repetitis totidem vicibus præsidium de cœlo invocare. Prior ipse provolutus fuit humi, tum exercitus omnis, libatoque ter osculo

culo terræ ad pugnam & victoriam assurrexit. Abreptus æstu venationis inter montium per Tyrolim juga, dum capream ardentiùs insequitur, repente amissa ex oculis fera, reperit se in præcipitio, unde reditus non apparebat. Non accurrere, non auxiliari comites poterant, nec patebat via, quâ quisquam opem ferret. Attoniti prospectabant à valle Principem aulici, & deplorabant amissum. Et ipse bidui inedia fractus mortem operiebatur. Inclamavit tamen ad circumstantes radicibus inaccessarum rupium aulicos, quâ poterat voce & nutibus, ut cum necessitas moriendi instaret, nec susceptis de more Christiano sacramentis obire vellet, monstrata saltem Eucharistica dape copiam sibi facerent Deum supremis affectibus in terra adorandi, accipiendique ultimam ab illo benedictionem. Concurrit vicinia omnis ad lugubre spectaculum morituri, ut credebant Principis, & prosecuti sacram Hostiam ad locum, unde à Maximiliano conspici poterat, facilè cogitari potest, quo calore pro charo Principe precabantur. At ecce, ut præsentem in sacramento Deum adoravit Maximilianus, adest ignoti vultus homo, & amotis expeditè petræ fragminibus aliquot, callem aperit, factusque Principi propinquior, euge inquit, non deerit unquam, qui tibi auxilio sit, ne metue, tutus sequere, & à præcipitio abi. Secutus est ductorem in vestigia Maximilianus dimoventem nullo labore saxa, & iter complanantem. Tum redditu*

ditu*

ditus aulicis in gaudia diffluentibus, ubi circumſpicit pro merito præmiandum ductorem, ab oculis hunc evanuiſſe animadvertit: ſtudiosè quæſitus non ultra comparuit. Affirmavêre omnes haud dubie Angelum fuiſſe, qui Maximiliano in ſubſidium cœlitùs veniſſet.

Chriſtianæ pietatis documentum aſſidua mortis meditatio exiſtit. Hæc Cæſari perfamiliaris fuit. Mandaverat Oeniponti profuſis ſumptibus apparari palatium. Non erat ad guſtum operatus Cæſaris architectus. Itaque Maximilianus: Artifex in hoc opere, inquit, operam luſit, ego genio meo efficaciùs impendam laborem: Tum ipſo die confici tumbam deponendo poſt mortem corpori mandavit: eandemq; abditam in theca ſerico ſuperinducta quacunq; proficiſcebatur deferri. Pluribus annis cum Cæſare peregrinabatur hæc arca: erat nonnullorum ſuſpicio regios ibi theſauros abſcondi. Et affirmabat Maximilianus rem illic omnium ſibi utiliſſimam, quæque plurimum ſua intereſſet latere. Ad eam verò ſæpius oculis converſus repetebat animo, Maximiliane, aliquando moriendum eſſe cogita: eccur gloriam indies auctiorem quæris? eccur tantorum compos, auguſtioribus inhias? non te ſatis capient tot provinciæ, & regna, quem loculus iſte pleniſſimè colliget? Pluribus annis antequam moreretur non ſuſtinuit vocari Rex, aut Imperator: volebat ut omiſſis ambagibus, tantumodo Maximilianum

lianum se compellarent. In morte religiosi, ac pij Principis præclara dedit specimina. Morientis ad proceres, ac Principes circumstantes hæ fuerunt voces, dicite Carolo, ac Ferdinando Nepotibus meis; constantes fidem Catholicam, quam à maioribus acceperunt, tueantur, eamque adversus suborientes sectarios fortiter defendant. Planè enim per ea tempora virus pravæ doctrinæ disseminare per septentrionem ceperat Lutherus: cuius implacabilis osor Maximilianus, admodum dolebat, quod præpropero fato eriperetur, priusquam conceptis, meritisque pœnis impium plecti fecisset.

§. VIII.

Carolus V. Imperator maximus & fortissimus.

DE Carolo V. nihil dixit, qui non gloriosa dixit omnia. Corpore non admodum grandis, maximus animo fuit. Congenitus illi mars, & bellona sunt visi. Adhuc tener gladium corripiebat, quamvis invalido pugno vibrandum in icones, & tapetia, in quibus armati repræsentabantur. Irrepebat juxta caveas, & abdita leonum septa, unde obvio, qui manibus occurrebat, stimulo feras belluas lacessebat; ut fuerit necesse, ne aliquando periculum gravius adiret, rimas omnes, & aspectum ferarum præcludere. Doctus à nemi-

ne, suomet genio, distribuebat ephebos, & coetaneos in turmas, formabat acies, præerat illis ut dux, ducebat agmen, ut primipilus: ordinabat velitationes, impugnabat castra, sistebat captivos, victor inferri se insidentem sellæ per palatium in similitudinem triumphi faciebat. Contigit, ut ex colludentibus iuberetur â Carolo repræsentare ducem adversæ partis: ea erat Turcarum. Renuit ille personam barbari agere, institiitque, ut etiam Carolus aliquando mutaret vices & non Christianæ militiæ duntaxat præfecturam susciperet. At recusavit Carolus commutationem: ut tamen morosum adolescentem ad colludendum flecteret, pileum illi, ac plumas ornamentum pilei, & cingulum dono dedit. Ita inter ludicra tenerioris ætatis exhibebat secutura sensa maturioris, & prodigia ventura. Octo annorum puer aderat pictori, qui lineamenta illius in tabellam colligebat: non fuit modus sistere Carolum in compositionem, quam desiderabat pictor: hærebat quippe attentus, quo pennicillum iste duceret, nec aliò ferebatur. Fixurus genium Principis Præfectus, lanceam conclavi illatam parieti applicuit; Evestigiò versus in partem vultus Caroli, illicò exultantis, & solicitè concupiscentis optatum chalybem. Simul exhibens, pictori & formam oris, & animi inclinationem. Ita primæ incentivum ætatis ad labores insequentes, quos equidem felicissime exantlavit, Carolum apparabat. Novies in Germaniam

niam profectus, sexies in Hispaniam, septies in Italiam, decies ad Flandros; quater Galliam, bis Africam, bis Angliam intravit; octies mediterraneum mare sulcavit, quater Oceanum. Erat fulmen in bello. Major Alexandro celeritate, nec minor magnanimitate. Quadraginta illustribus victorijs, aut ipse coram, aut per suos duces, ut minus operosas omittam, & præfuit & partis claruit. Plus septuaginta bellis victor evasit; Centum millia castrorum, civitatum innumerabilem vim, navium copiam immensam expugnâsse referunt.

Armis justitiam causæ præfigebat: ad ea capessenda non nisi compulsus ibat. Non cupiditate, non ambitione motus, sed aut Religionis causa, aut justitiæ bellum inferebat. Affirmabat, quòd si Galliam omnem in potestatem redegisset, illico se Regi eam restituturum fuisse, suo duntaxat, quod legitimè prætendebat sibi retento. Suggerebant aulici, ut victorijs uteretur ad debellandos hostes, fultus potentia, viribusque tam apertis: at ipse reponebat: Gentilium Imperatorum eam solertiam fuisse, qui solius nominis gloriam captabant. At Christianum Imperatorem non decere, ut famam sibi apud homines aucupetur, sed ut saluti, vitæq; singulorum, ac bono publico provideat. Hac intentionis puritate indutus nomē Maximi, ac Fortissimi, à Paulo III. Pontifice oblatum, constanter rejecit, nullaten⁹ hac gētilitiæ vanitatis imitatione captus.

Animo mundo major citra ambitionem fuit-

Nunciantibus ab omni parte plurium armis se peti, nihil consternabatur Dicebat, ibi gloriam ampliorem esse, ubi periculorum plurimum. Circumfusus ab hostibus aliquando in Germania, & immissis in exercitum, quem ducebat, non admodum numerosum, sex mille machinarum grandiorum globis, jamque non paucis circa latus cadentibus, nec vultum mutavit, nec formidinis indicium dedit. Rogabant copiarum præfecti, ut consuleret universorum saluti, declinaretque pericula: at, ille subridens: dicite amabo, quis Cæsarum tormenti ictu perijt? hæc tela Imperatorem non feriunt In bello Tunetano ad Gulettam, ubi major erat obsessorum resistentia, ubi validior obsidentium vis, ibi aderat Carolus contemptis circumvolantium telorum sibilis, atque adstantium morte. Audacter tum, & confidenter accessere Carolum Aluarus Bazanus, & Comes Tendilla, qui negavère se facturos assultum terrâ, aut mari, si pergeret Cæsar à loco constituto abire, & se immiscere pugnantibus. Respondit Carolus, ordinationibus ipsorum se pariturum fore, ut militem, si temperare sibi posset, & in calore certantium frigere mallet extra periculum. Quare nec paruit designationibus Ducum, sed cum animosissimis in valla hostium perrupit. Cumque in confusionem, ac metum miles Italicus, atque Hispanicus alicubi jam prope ageretur, ob nubem pulveris, & immanem missilium bellicorum vim,

ipse

ipse se copijs trepidantium immiscuit, forti, invictoque animo inclamans: Ite inquiebat, milites mei, ite leones; impulsosque vocibus egit in hostem, imo ad penetrandas alpes, ac emovendum loco cum myriadibus copiarum Xerxem egisset. Sic capta Guletta est. Bis mille Turcarum cæsi, balistarium ænearum trecenta, majorum navium viginti, minorum triginta, cum annonæ instructissima quantitate in prædam victorum venere. Mox imposito Gulettæ præsidio Tunetum movit quatuor leucis distantem. Occurrit illico Barbarossa sexaginta Maurorum millibus, & & octo millibus Turcarum instructus. Inspectis hostium legionibus intrepidus Cæsar in frontem sui militis procurrit. Monentibus, numerum adversæ partis validum esse: Plures itaque, inquit, vincemus. Sub initium pugnæ audacior è barbaris concito equo penetravit in legionem, à qua Cæsar pugnabat: at præclusit temeritati susceptæ hasta viam, quâ confixum Carolus abire ad mortuos fecit. Quater impulsus Barbarossa, & quater recalescens, tandem omnino conjectus in fugam Tuneti mænibus se abdidit. Offert interea homo Maurus, ad alloquium arcanum admissus, urbem Tunetanam Carolo, ipsumque Barbarossam interficiendum: quo cæso recludendæ forent portæ Cæsari, & cum hostibus illico res agenda per captivos in urbe Christianos, ac victor admittendus. Operam pollicebatur Maurus promptam,

cum panifex barbari esset. At rejecit hominem Carolus affirmans, nolle se cum hoste suo fraudibus, sed armis decertare: & turpe duxit potentiæ suæ administrum vernam de vulgo præficere, ac demere quam plurimùm de gloria, quam manibus teneret; simul Barbarossam periculi admonuit, dissimulato interim facinoris meditati authore.

In prælio ad Algerium magnum discrimen fortuna Caroli subibat, non modo hostibus ferociter obsistentibus, sed & tempestatibus aëris ac procellis adversum pugnantibus. Copijs & annonâ providè instructi Mauri, capto quin etiam augurio ab immaniter infremente cœlo audacissimè involabant in Christianos. Isti cœnoso, ac paludoso in sabulo ad genua immersi nec sclopos expedire, nec vim arcere satis poterant. Vicit nihilominus obstantem fortunam animorum generositas. Sed qui impulsos ad recedendum Mauros persequerentur, ob incommoditatem terræ, atque aëris non ita prompti suppetebant. Hærebant Alemanni pondere armorum prægraves in statione. Quare Carolus ante signa nudato ense prior provolat, ac patrio idiomate inclamat; euge, inquit, mecum generosa pectora, pro fide, pro Cæsare vestro, pro gloria inclytæ nationis, ite, impellite barbaros jam nutantes. Unus in fugam hostes egit, unus victores, ut victoriâ uterentur, juvit. At non etiam sic procellis persuasit. Incubuêre multò quàm antea ferociores: imo expertissimi

regio-

regionum affirmavere ab hominum memoria non fuiſſe conjurationem ventorum, & aquarum tantam, quanta eo die deſævierat. Concuſſæ per littora triremes, abſorptæ vadis celoces, & inſpectante Cæſare maior expeditionis nauticæ pars fædo fluctu abſumpta. Nec cadus pulveris ſupererat, nec panis cruſtula. Per eam noctem, alterumque diem neceſſe habuit Carolus alendo exercitui non exiguam partem equorum per ſtationes diſtribuere, quorum carnibus interim ſuſtentarentur famelici. Cæterum Imperatoris, ac militis officio functus omnibus periculis aderat, omnia ſigna obibat, omnia coram diſponebat: nihil commotus ad pertinaces aëris injurias; ſolum illud, reſpiciendo cœlum reverenter, auditus à circumſtantibus interdum dicere: fiat voluntas tua. Tandem à loco certaminis, promoto per viginti leucas exercitu ad promontorium Metafuſij deducto in naves milite, obſecutus eſt tempeſtatibus cedendo, non adverſando. Præmiſit in mare Italos, tum Germanos, atque Hiſpanos, demùm ipſe poſtremus omnium exceſſit à litore in navim. Et quia vi procellarum diminuta fuerat claſſis, ne multitudo vim faceret ituris, impedimenta præſertim, & equos eijci in pelagus juſſit.

Landreſium obſidione ſoluturus accurrerat cum valido peditatu, atque equitatu Rex Franciæ, obtuleratque pugnam. Non detrectavit certamen Carolus, etſi viribus impar. At Rex ani-

madvertens in promptu adesse Cæsareas legiones, impetum intra valla continuit. Et jam cordatior Cæsar copias promovet, atque inter primos obequitans monet circumstantes, ut si cadere se, aut vexillum inclinare viderint, illicò priores ad erigendum signum, quàm ad servandum Carolum concurrant. Tum aciem disposuit, jussitque conclamantibus tubis provocare ex stationibus hostem. Hæsit enimvero ille in loco, & nocte insequente solutis castris omninò se proripuit ex campo. Ubi majora pericula, & fortior adversarius, ibi Carolus animosior ac promptior. Accuratè & vigilanter expendebat, & circumspiciebat singula ne cui parti deesset. Dies noctesque obibat aciem ferro obarmatus, & dissimulatis sæpe molestijs podagræ incumbentis ære induebatur. Prior ad discrimina se inferebat, dicebatque nunquam minus periculi Regibus esse quam in corona adversariorum : securiores esse in prælio quàm inter accumbendum mensæ, vel lecto : plus cruoris Regij sparsum fuisse inter aulæa hactenus, quam sub papilionibus.

Erigebat animum Caroli ingens in Deum fiducia. Ad Tunetum motâ quæstione, quem in primipilum designaturus esset ; arrepto in manus Salvatoris de cruce pendentis simulacro, productoque in sublime ; hic inquit, Dux belli ; ego illius signifer, & promotis castris crucifixi effigiem manu gestans, ut jam erat armis succinctus, prælium

lium inivit. Primarium vexillum ex altera parte insigne Imperialis Aquilæ, ex altera crucifixi imago adornabat, tantam hæc aspirans pietatem aspectantibus, ut eximia cum teneritudine ab intuentibus suspiceretur. In istud sclopum exoneraverat hæreticorum quidam in prælio adversus Saxoniæ Ducem gesto, coloresque turbaverat. Illicò Cæsar altum suspirans atque ingemiscens, ac simul spe victoriæ consequendæ ex omine firmatus: Domine, inquit, injuriam hanc tu vindica, si placet: potes enim: ego administer ultionis adsum: adjuva conantē. Experiebatur aliquando rebus suis minus faventem genium Pauli IV. Pontificis. Solicitabat Joannes de Manrique orator Romæ Cæsareus, ut plurium Cardinalium attestationem prosequeretur Cæsar, quâ dicebatur in electione Pauli vitium intercessisse, fieri itaque posse, ut negotijs Imperialibus consuleretur ex mota quæstione super electione Pontificia; at respondit Carolus: non expedire, ut quæratur nullitas in ea electione, quæ tot calculis comprobata fuerat; minus propterea Ecclesiam in confusionem mittendam: adfuturum à Deo subsidium, neque ab alto defore defensionem justarum suarum prætensionum. Mandavit itaque Oratori, ut adiret Pontificem & nomine suo Pontificatum gratularetur. Hæc in Deum fiducia cor Caroli dilatabat ad perficienda maxima; & faciebat venerandum, etiam adversarijs. Venerat Admi-

ralius Franciæ ad pacta ſtabilienda Bruxellas. Tanta cupiditas inſederat Gallos videndi Caroli, ut nec theatra, nec ſuppedanea ſufferrent curioſiſſimos admiratores. Inclamantibus Caroli domeſticis, ut parcerent ſubſellijs importuni quæ à confluxu vim patiebantur, reſpondit ex illis nonnemo: ſinite, videamus tantum Principem, quo fortiorem, generoſioremque mundus non vidit.

Cauſa Religionis omnium penè laborum princeps Carolo ſcopus fuit. Quotidie pro hujus incolumitate Deum deprecabatur. Eam frequens, habebat in ore, cum colloquebatur. Cùm Principatibus renunciaret Bruxellis, primæ ſolicitudinis loco duxit Philippo Filio negotia Religionis, curamque anxiè commendare. Et ſubinde illachrymatus: vide, inquit, Fili per has lachrymas Flandriæ tibi faſces, ſed ante omnia fidei catholicæ ſtudium commendo. Ex Zelandia ſoluturus in Hiſpaniam inter complexus, & lachrymas filio repetitis affectibus eadem tenerrimè ut cordi haberet, mandavit. Monebat, ut Eccleſiam Romanam omnibus viribus coleret, atque defenderet. Fili mi, ajebat, ſi ſaluam vis monarchiam, quam tibi vaſtiſſimam conſigno, vide ne ulla ex parte à Religione Catholica diſcedas. Poſtremis quas ad Imperij Proceres, ac Spirenſem Cameram dederat litteris, curam Religionis Statibus inculcavit, prolatis in eum finem copioſis argumentis, ac ſubditis precibus. Intelligens ab eremo inita quendam,

dam, dictum Caraçallam, convictum hæreſeos, Nulla me, inquit, ratio â ſolitudine in publicum revocaret, quàm ne deeſſet vindex Religioni, qui plectat pro merito hæreticos. Verumtamen meâ opera adverſus periculoſos hoſce (ita nuncupabat hanc hominum fæcem) non eſt opus. Scripſi Inquiſitoribus ut non parcant flammis ad delendam horum colluviem, quorum nullus veri catholici frugem unquam præſeferet: quare ſine piaculo tolerare de illis vel unus nequit. Deliquiſſe me fateor, quod Lutherum vivere ſuſtinuerim: At conſtrictum me juramento tum ſenſi ex ſalvo conductu, quem impio homini concefferam. Addebat; Ducem Saxoniæ Mauritium, apud quem cum ſolo ſex hominum comitatu diverterat, promiſiſſe aureos montes, ac præcipuè centum millium armatorum copias adverſus Turcam tunc Hungariæ imminentem, adusque expugnationem Conſtantinopolis ſuſtentandas ab Imperio, ſi modo Cæſar pateretur publicis diſputationibus ſubjici doctrinam ſectariorum: ſe verò noluiſſe unquam tanti emere nova imperia, neque tam ſiniſtris conditionibus: ſolo contentum vivere Chriſto crucifixo· Reverebatur ſingulari cum demiſſione canones Eccleſiaſticos, una cum matre & directice fidelium Eccleſia Quare rogantibus licentiam prædicandi: non iſtud inquiebat meæ, ſed Epiſcoporum juris-dictionis eſt. Eorum me quoque arbitrio inclino, ac volo muneri eorundem

dem

dem nulla ex parte esse uspiam derogatum. Pietate planè cum singulari victorias omnes Deo in gratijs referebat. Accepto nuncio Regis Franciæ in potestatem redacti; cum aulici de tripudijs cogitarent, nihil ipse gloriandum ratus, unum hoc egit, ut ad ædem Divæ Virginis Atocanam profectus Deo, Virginique Matri beneficium in acceptis referret, & postero die sumpto pane Eucharistico, devotas supplicationes per dies septem continuas indiceret. Profligatò Saxone per incredibilem ut celeritatem, ita felicitatem, scripsit summo Pontifici, veni, vidi, Deus vicit. Non omittebat ullo die divinis ad altare mysterijs adesse, dempto illo unico, quo tempestate jactatus ad Algerium, fuit prohibitus. Nullis occupationibus ita obruebatur, ut horam orationi constitutam omni die non exequeretur. Post dimissos Principatus Lauretum appulit: profususque illicò in genua, terramq; exosculatus, gratias pro felici ad tranquillitatem appulsu egit. Mox sumpto in manus crucifixo, Christe, inquit, te duce hostes debellavi, victorijs auctus fui, triumphos egi, gloriam tuam toto orbe protuli: quidquid tamen egi, tibi debeo, tibi gratiæ. Nunc redditus Hispaniæ suscipiendis mei corporis exuvijs destinatæ abs te, da animæ meæ feliciter à mundo migrare; & quidquid Carolus est, tuum esse concede. Dum solennitates Theophoriæ obiret, & in caput apertum calentissimus sol incumberet, monerentque Proceres

cerês subducere se ab æstu. Non ita: inquit Carolus, nam neque diei hujusce calor, neque Jovis Sancti serenitas ominosa, aut nociva sunt.

PrudentiamCaroli multa rerum experientia,atq; imprimis lectio historiarū firmavit. Libros Regum, quos adolescenti sibi exposuerat quondam Adrianus præceptor, postea Pontifex, ita mente tenuit, ut prudentiæ Christianæ inde perpetua documenta sancto,ac pio Dei timore refertissima semper deligeret. Instructionibus politicis translatum Gallicè Thucydidem historicum,in narrationibus suis solertissimum, atque observationibus civilibus plenum, adhibuit, eumque, ut evolverent consiliarij, commendabat. Plures alios historicos Hispano, ac Germano sermone conscriptos accuratè perlegit, ne quidquam illum lateret, quòd à præstantissimis mundi Principibus gestum aliquando esset. Erat vivacis, ac perspicacissimi ingenij; Judicij verò tam circumspecti, ut sapientissimi obstupescerent. Penetrabat consilio difficultates, in quibus hærebant Duces, ac consiliarij enodandis; judiciumque Caroli, ne mutato quidem apice, reverebantur omnes. Ipse nihilominus existimationis suæ parcior eos consulebat, quorum sententias, nequidquam opportunius suasuras præveniebat suffragio prius in chartam conjecto. Asserebat, indecorum videri, ut Austriacæ Domus Princeps in summum fastigij Regalis elatus præcipitet resolutionem; ita oportere illum allucere rebus agen-

agendis, quasi cum sole in summum cæli elato hæreret immobilis. Utebatur eâdem solis similitudine, dum communem illius lucem attribueret virtuti boni principis, pauperi æquè, ac diviti Justitiæ clementiæque radios dispensanti. Ubi negotium gravioris momenti urgebat plures dies dabat considerationi, imo simulabat alterationem quandoque corporis, ut dispositio mentis intentior esset providendis eventibus: quorum præterea pondus altissimo secreto tegebat. Deliberationes in abditissimo silentij arcano reponebat, neque eorum notitia prius executione patebat. Ajebat, Regum intentiones nonnisi facto declarandas esse.

Sapientissimè discernebat, quos ad officia tum sago, tum toga obeunda vocabat. Quare factum; quod pace & bello clarissimos duntaxat rebus præfecerit. Proreges & Provinciarum gubernatores amovebat citius à munere, ne ex usu imperandi audaces, & insolentiores evaderent. Dictamina admodum excelsa, & aptis adornata similitudinibus usurpabat. Ajebat in castris, & senatu res optimè procedere, quando Princeps assistit, uti efficacior est Lunæ influentia, quo propius terræ admovetur. Potentiam item regiam atterere contumaces, & consolari humiles, uti fulminum est genus, quod stramentis parcit, & æra consumit. Consilia & sanctiones necessariò easdem perseverare non posse semper; uti neque tempora quæ qua-

quater per annum variant, neque lunæ aſpectus, qui alternatim proficit, ac deficit. Hac arte cum energia incredibili animi ſenſa promovebat in publicum. Miſerat Franciſcus Rex Galliæ oratorem ad Cæſarem, qui nunciaret non probari Statibus Franciæ tractatus Madriti confectos: ac proinde repeteret prolem regiam lytro moderato redimendam. Replicuit Carolus poſſe Franciſcum reverti in captivitatem, uti juraverat, ſi non poſſet ſtare pactis. Non habuit, quod reſponderet Franciſcus, neque quod fœderatus Rex Angliæ opponeret. Simul enim admonebatur hiſtoriarum uterque. Olim quippe contigit, ut bello inter eas nationes geſto captivus Regis Angliæ, Rex Franciæ Joannes, cum ex ſimili contradictione procerum nequiret promiſſa exequi, neceſſe habuerit juxta conventionem præſtare, quod poterat, atque in Angliam ad captivitatem reverti.

Juſtitiæ, Regum gloriæ, amantiſſimus Carolus, ultro profitebatur non meminiſſe ſe injuriæ cuipiam adverteter abs ſe illatæ. Solebat huius virtutis executioni immenſis itineribus ſe committere, ut conſilijs, & convocationibus populorum intereſſet. Adeo ad amuſſim jura æquitatis penſabat: ut diceret: ſi contingeret iteratò Regem Franciæ in poteſtatem venire, aliud, præter Burgundiæ ducatum, quem videlicet Rex iniquè uſurparet, non fore ſe ab eo repetiturum. Aucturū etiam longè amplius libertates Germaniæ, modò Catholi-

ca ubi-

ca ubique Religio restitueretur. Ad Justitiæ firmandas vires procurabat impensè, ut magistratuum, ministrorumque salva semper authoritas staret, cum recte judicassent. Declaraverat Camera Spirensis hostem Imperij Albertum Brandeburgi Marchionem. Ad Carolum provocaverat Albertus; at Cæsar: non decere infringi cursum justitiæ respondit, nec Imperatori fas esse senatûs publici æquitatem convellere: ab armis discedat Marchio, rationibus prætensiones suas fulciat, judicio dicasterij Imperialis se submittat, tum si agatur inique, se muneri suo minimè defuturum, & partes Marchionis pro virili acturum. Ubi causa Religionis infestabatur severiorem omnino in ea defendendâ se præstabat. Intellexerat ab exercitu Germano expilatam in Picardia civitatem, neque templis aut altaribus parsum: Ex ijs militum de custodia sua quendam injecisse manus tabernaculo asservandæ Eucharistiæ sacro. Illicò impium appendi infami ligno ante fores Ecclesiæ jussit, quidquid restitutionis faciendæ promitteret. Tanta Carolo reverentiæ in res sacras tutandæ cura.

Quantâ fortitudinis virtute claruerit Carolus, nunquam satis diximus, quidquid diximus, aut dicemus. Socia cæterarum virtutum moralium est Fortitudo. Eas hactenus pertexuimus, de solâ hac restat dicendi campus. Martem investitum corpore, atque à fabulis translatum ad historiam in

Caro-

Carolo credidiſſes. Inter pericula occurrebat primus: totos dies noctesque armatus inhærebat equo: ad ſibilos circumvolantium pilarum ænearum attendebat immotus,& irretorto vultu: impellentibus per grandinem plumbeam hoſtibus, ut loco cederet, perſiſtebat invictus, aſſerens, minimè formidandos canes eſſe, qui plurimùm allatrarent: Dei favoribus roboratos vacare à timore. Aliquando diſpoſitâ acie, quam adverſus Franciſcum paraverat, interrogatus; num ſupereſſet aliud agendum: hoc unum, inquit, ut enſium aciem exacuatis ad univerſas Gallorum barbas recidendas; quippe non eminus, ſed cominus pugnandum erit. Repreſſit Solymannum fortitudo, ac felicitas Caroli, ne huius adventum ad Viennam operiretur. Cæſarem aiebat, non Cæſareanos metuo: Fortunam Caroli revereor, aſuetam vincere. Eluctatus maritimas tempeſtates portum intraverat, ſed monebant locorum periti, ne contactas peſte regiones iniret. Eamus tamen, inquit, intrepidus; non reformidemus afflatum, nec Julio, nec Octaviano Cæſaribus bubo iſtiuſmodi feralis fuit, nec futurum Carolo confido. Quamvis propenſione genij, & inclinatione fortunæ in bella gerenda proclivior videretur; pacis tamen ſemper deſiderantior fuit. Inſtabant oratores Veneti, ut bellum, quod Reſpublica optabat, iniret; at reſpondit Carolus: non reſpiraret mundus à bello unquam, ſi ad datam occaſionem

eveſtigio in arma convolaretur; ſe vim voluntati ſuæ feciſſe ſemper, quoties bello Principem Chriſtianum petijſſet. Nec defuit glorioſo Cæſari decor laudatiſſimæ temperantiæ. Ut ſuſpicionem liberioris licentiæ, adverſam fidei conjugali, amoveret, ſæpe admotis manibus claudebat ipſe feneſtrarum oſtiola, ut excluderet ab oculis alienam pulchritudinem, ſive tranſituram illac, ſive illic conſtituram. Adulteria quammaximè deteſtabatur. Intelligens à primipilo quopiam fuiſſe perpetratum flagitium; manu ad capulum admota, hoc inquit ferro cor ſceleſti transfigerem, ſi adſtaret; mandavitque eveſtigio caſtris excedere, redireq; unde venerat, in Italiam. Dum Gallias pertranſiret, divertiſſetq; à via in oppidum; adſtantem in conclavi puellam habuit elegantioris formæ. Interrogata, quid iſthic ageret; eò ſe parentibus inſcijs immiſſam eſſe reſpondit: At Carolus ſtatim loco educi, ac parentibus reſtitui juſſit. Abſtinentiâ cibi, potûsque familiari utebatur. Suggerebat nonnemo: cibum ut lautiorem caperet levandis tot negotiorum, quibus obruebatur, gravaminibus opportunum. At Carolus: lautè commeſſari vulgarium eſt: Ideo ferendis negotijs humeros non ſubtraho, quia minor me cura ſaginandi ventris tenet. Scio equidem multos de plebe habere commodiùs, at mihi pondus ſervandæ Chriſtianitatis ſic diſponente cæli Providentiâ, incumbit: quare huic oneri, munerique tempus impendo,

do, immemor horarum, quas triviales insumunt curandæ cuticulæ: cedit illud utilitati publicæ ex Divino beneplacito mihi commendatæ, quamvis meo cum incommodo; sed honoratius illo, quod perversè ab sumitur per cupedias. Aliquando cænaverat cum apposita sola portione salsamenti: intervenerat Ferdinandus frater, Hungariæ Rex, & quæsierat, admiratus, quo gustu cruditatem illam ingereret, vix digerendam à stomacho. At Carolus nihil respondit aliò intentus consideratione. Resumpsit subinde quæstionem Ferdinandus. Tum Carolus: liberè affirmo, cogitationes, & curæ, quæ totum me sibi vendicant, non concedunt, ut causas investigem, tam insoliti gustûs. Cibis vescebatur vulgaribus, sic qualitate condimenti, ut quantitate substantiæ perexiguis. Quo factum ut complures authorum tradiderint, Carolum ad pondus, & mensuram constitutam comedisse, ac bibisse.

Liberalitate maximos Imperatorum superavit Carolus, qui regna, & Provincias integras erogabat. Donavit Muleassi Tunetanum Regnum, Alexandro Mediceo Ducatum Florentinum, Sfortiæ iteratis vicibus Ducatum Mediolanensem, Guilielmo Cliuensi Montensem, Duci Mantuano Montisferatum, Sabaudo Comitatum Astensem, Ferrariensi Principatum Mutinæ, ac Rhegij; Urbinati Soram, Lanojo Sulmonam, Doriæ Amalphim, Levæ Asculum, Gonzagæ Molfettam, & Arianum,

 Equi-

Equitibus Jerosolymitanis Melitam, Genuensibus ipsam, cujus Rem-publicam conservant, Genuæ libertatem. Cum lacte imbibisse liberalitatem credi potuit. Poterat adolescens per concessam facultatē quotidie quadraginta scutorum Eleemosynam elargiri. At licentiam, Aulæ præfecto non conscio, eodem sæpe die conduplicabat, etiam septies quandoque animadversus indulto uti. Immensam vim auri expendit in redimendis captivis, in dotandis orphanis, in egentibus locupletandis, in personis miserabilibus ab inopia sublevandis. Habebat in ore, quod liberalitas Regum debeat solem imitari, qui cænum indurat, & ceram liquefacit: pari modo, quod beneficentiæ regiæ usu venire conveniat, ut nonnullorum conciliet animos, aliorum confirmet. Affabilitas, & humanitas præter cæteras animi dotes singulares, summè amabilem Carolum populis fecerunt. Colloquebatur aliquando in Flandria Seldio Ferdinandi Regis Oratori: Producto in seram noctem discursu nemo adfuit, qui Seldium â Carolo divertentem deduceret. Arripuit candelabrum Carolus, & ad conclave designatum comitatus Seldium, frustra deprecantem, imò subsequentem antegressor vice administri officiosè alluminans. Cum ad digressum scalarum pervenissent: Ecce, inquit Carolum tot alias stipatum exercitibus, nunc incomitatum; faciferi obeuntem munus suo quamplurium annorum servo. Joannem Fridericum Saxoniæ Ducem

capti-

captivum non præteribat, nisi posito galero salutaret. Consultabant de Carolo detinendo Galli, cum ex itinere per Gallias ad Franciscum Regem divertisset. Intellecto Consilio Carolus ad demerendam sibi Estampiam Regi peramicam animum applicuit. Itaque in conclave, ubi ad prunas assidebat intrantem manu comiter prehendit, jubetque assidere ad latus: tum mixtis, uti ferebat opportunitas, ultro citroque sermonibus capturus animum fæminæ, annulum ex composito â digito dimittit, pretiosissimo adamante conclusum; inclinata ad momentum illa annulum levat, & officioso honoratum osculo refert Cæsari. At, subridens Carolus, Annulus hic, inquit, tibi esto: non solent Cæsares, quod dilapsum à manibus est, repetere: monimentum hoc sit Caroli isthic aliquando hospitis. Liberalitatem venerata fœmina, postea vulgatis Caroli laudibus tantum effecit, ut illius intercipiendi, detinendique nulla imposterum cogitatio manserit. Imo ab eo tempore quacunque incedebat, festivis honoribus accipiebatur. Tantæ fuit efficaciæ prudentia affabilitati consociata. Capta Tuneto innumera adfuit captivorum turba, qui in servitutem à barbaris olim abducti profusis lætitiæ lachrymis liberatori suo acclamabant, & in terram prostrati rogabant, uti sibi liceret vel pedibus maximi in orbe Principis oscula figere. Spectaculum omnino miserandum afflictissimorum paulò ante ex omni Europæ natione mortalium.

 Huma-

Humanissimus Imperator consolatus universos, ad manûs osculum singulos admisit, mox viritim distributis vestimentis congruâ pecuniæ portione donati, remissi quique in patriam supplicibus in cœlum dexteris bene precantes liberalissimo Cæsari. Ingressus Barcinonem inaudijt urbis oratores quinque repræsentantes statum, non consuesse ab equo descendere, cum Principem suum civitate reciperent; adhæc, quod nescire vellent eundem simul Regem esse atque Imperatorem: præstituros tamen singula, quæ Carolus imperaverit. Nullam ille consuetudinibus priscis vim tacturus assensit, ne descenderent equo, & omisso Imperatorio Comitis Barcinonensis titulo præhabito, urbem accepit. Egregium pro demerendis cordibus consiliū. Parabatur alibi hastiludium, at è numero cohortium nulla erat, quæ nobilem quendam, dotibus equidem opibusque insignem, sed qui progenitores pares habere cæteris, quamvis & ipsi clari fuissent, non videretur. Edoctus de litigio Cæsar, eo ipso tempore, quo plenus confusione nobilis stabat in prætorio, prodit in publicum, atque ad circumstantem certaturorum turbam: nemo inquit, hunc suæ cohorti adscribat, ego illum meis collusoribus annumeratum volo. Ita contentionem diremit, & honore perturbatum afficiendo honores celebratissimos meruit. Clementiam magnitudini parem præsetulit, Mirantibus, quod frequentius ignosceret perduellibus;

libus: non id ago, inquiebat, ut occidam viventes, sed ut mortuos resuscitem. Asserebat magnanimitatis indicium esse, non advertere ad calumnias, & maledicta. Rainerio nobilitate, atque opibus præpotenti, sed ob crimen læsæ Maiestatis damnato, vitam condonavit, nec non fortunas restituit. Guilielmus Dux Cliviæ mortem meritus, ubi demissè supplex Cæsari accidit, vitam impetravit, cultusque amplius imposterum fuit. Idem obtinuit comes Palatinus, ac Dux Wirttembergensis. Sæpius per Germaniam clementiæ edita documenta, etiam Gallijs præstitit. Diverterat ad Regem Carolus, subitoque incendio diversorium Cæsaris exarserat. Rapi suspectos immissi sponte ignis ad supplicium mandabat Rex, at deprecabatur pro afflictis Cæsar, effecitque etiam à carcere immunes. Sæpe contigit, ut per Hispaniam, quæ optabant boni, jam seditiosi trepidarent imminentia supplicia, parata in cautelam temerè factiones cientium: at alienus à fundendo sanguine Hispano Carolus, malefacta non imputabat malitiæ, sed ignorantiæ. Atque, ut fidelitatem suorum evinceret, è captivis pluribus, octo ad sententiam capitis damnavit, quos ipsos alia scelera, non modo publicum nefas reos effecerant; neque istud Clementissimus Princeps magis justæ iracundiæ, quam dolori dedit. Cæterorum turbam dimisit incolumem, ipsosque centum octoginta quos in vinculis detinuerat

non multo post liberos esse voluit. Ita fulmina cum periculo paucorum transeunt, quamvis non sine terrore multorum. De reis fuerat Nobilis Toletanus, quem adulator aulicus, capturus gratiam Caroli, quo loco deprehendendus foret, prodiderat; Accepit indicium Carolus, sed visus non advertisse, dissimulavit mandatum de nobili protrahendo è latebris. Itaque delator interpretatus oblivionem, iterum replicat, insinuatque latentem. Tum Cæsar: satius fuisset, inquit, si viro illi intimasses adesse me, neque toties suggessisses mihi adesse illum. Diffidentium â Cæsare Ducis Saxoniæ, atque Hassiæ Landgravij internuncium Cæsareani interceperant, evolutisque syngraphis deprehenderant notatos per Alemanniam Proceres, qui seditiosis suppetias erant missuri. Re ad Carolum relata, æmulatus hic Julij Cæsaris factum, jussit epistolas flammis absumi. Ut ille civium Romanorum cum Pompeio conspirationes, ita iste procerum Alemanniæ cum hostibus adversum se pacta obliterans, docensque, mitiorem esse formam vindictæ, quæ est ignorantia delicti.

Clementiam profusa in omnes benignitas comitabatur. Aditus ad colloquendum patebat singulis. Monitus fieri posse, ut sic aliquando de vita periclitaretur, respondit: Deum nemini negare accessum: se maiestatis Divinæ emblema in terris esse: securitatem sibi â benignitate in

omnes comparari: Amorem ab amore provocari, ut jurgia à jurgijs: nemini odiosum fore, qui benevolentiâ singulos complecteretur. Jusserat ab aula rapi in carcerem è gynæceo quandam. Dolebant factum Nobiles quinque apud illam gratiosi. Quare à capite ad calcem squalidi expectavêre Cæsarem, dum pertransiret; adstantes immoto pileo. Agnovit postulata Imperator absque insoliti huiusce cultûs interprete, & subridens: sapitis, inquit, sapitis: liberam habete: missoque, qui carcere fœminam eximere, intercessores placavit. Illi ad pedum oscula affusi, liberalem, quæ offerebatur, dexteram honoravêre. Mortuo Francisco duce Mediolani adfuit à Gallia orator nomine sui Regis eam provinciam repetiturus. Audijt Carolus perorantem, & suavissima cum dissimulatione: Eadem mea quæ Regis tui voluntas est: ambobus id ipsum in votis. Credebat orator postulato Cæsarem annuisse, & quantocyus renunciaverat Regi optatam, uti existimabat, expeditionem. At Carolus æquivocatione usus fuerat; asseruerat enim se Mediolani Principatum ita sibi vendicare velle, uti pro se Rex eundem efflagitabat. Dolebat nonnemo è veteranis Carolo ab obsequijs, quod exigua in parte lucrosum hactenus servitium serviviſset; Respondit Cæsar: quid mirum? Etiam luna, quò soli vicinior, eò obscurior. Affirmare solebat, exercitui formando, comparari oportere caput Italicum,

 bra-

brachia Hiſpana, & pectus Germanum. Deferebat iſtud Italorum ſolertiæ, Hiſpanorum robori, & fidei Germanorum.

Addidit Carolus ſui nominis ſplendori celebratiſſimum mundi honorum contemptum, quo tandem renunciavit ſceptris & coronis, Cæſaream fratri, Regiam filio reſignando, ſeque in exilium à rebus humanis voluntarium abdendo in clauſtrum Hieronymianorum. Egit inter hos vitam cœnobitæ. Prope Eccleſiam S. Juſtæ ædiculam peranguſtam incoluit, familiâ ſtipatus modicâ, ipſe perexiguo contentus. Iu hac ſolitudine animi inter cæleſtia voluptatibus ſtuduit. Attendebat frequens divinis officijs, quæ ad aram maiorem, quo proſpiciebat, agebantur. Inde ſanctiſſimo Euhariſtiæ ferculo identidem reficiebatur. Ibi horis canonicis,ſacriſque ad populum concionibus aſſiſtebat. Ex indulto Pontificio poterat, quò amplius devotioni vacaret, & corpori multum laboribus attrito non incommodaret, non ieiunus ſacram communionem participare. Muſicis ad divina peragenda concentibus delectabatur, ipſeque ordinabat ſacras canticnes, quæ præcinerentur, uſus operâ voluminum à Guerrerio laudatiſſimo ab arte muſicâ, & Capellæ Magiſtro ſibi præſentatâ: diſcernebat item accuratè cum hic author alios in inventione, aut diſpoſitione authores imitatus ſua feciſſet, quæ erant aliena; nec advertentes muſicos de felici translatione, quæ

occur-

occurrebat observanti, edocebat. Feria sexta per quadragesimam utramque, quas in hoc cœnobio exegerat, comitabatur publicam totius monasterij supplicationem, & flagellationem, tanto ardore desæviens in corpus, ut funiculos attereret. Ab ædicula quandoque in vicinum nemus divertebat, plerumque pedes incedens, atque ibi in constructo Eremitoriolo rebus divinis vacabat. Semel devectus asturcone, prope fuit, ut nisi promptè subuenissent, fuisset præcipitatus. Universum equile tanti olim monarchæ, tunc equo unico, & mula, quæ famulum deportaret, absolvebatur. Regiæ domûs apparamenta nudi erant circum parietes; cellæ tamen, cui indormiebat, affixi inhærebant aliquot nigri panni. Habitu induebatur modestissimo. Decentiæ causa indulsit, ut ad mensam quatuor lances argenteæ servirent. Erat sanè rigor hic vitæ, & cultûs austeritas præferenda priscorum Eremitarum miraculis, Macarij, aut Hilarionis, si conditio utrinque spectetur, à qua & iste, & illi recesserant. Doloribus interim ægritudinum, ac pertinaciâ podagræ plurimùm divexabatur, quibus tamen mitigandis necessitati potius, quàm commoditati indulgebat. Quare nec alio medico utebatur, quam qui toti monasterio erat communis. Aliquando â tonsore interrogatus, quid tum animo volveret. Bis mille scutorum, inquit, quæ seposui, cogito impendere proximè in exequias mihi celebrandas.

Hæc

Hæc, ſubdidit ille, melancholicæ affectionis ſunt cogitata, ſi Majeſtas Veſtra obierit, ac nos vixerimus ſuperſtites, non deerunt pro meritis officia, quæ ſupremo, debitiſſimoque affectui impendentur. At replicuit Carolus: multùm refert, inquit, utrum viatorem præcedat lumen in tenebris, aut ſequatur. Volo, ut præſens interſim ſolemnijs mortuorum, progenitoribus meis, ac mihi conſtitutis.

Manſuetudine indicibili proſecutus fuit in hoc receſſu obſequia eorum, qui deſerviebant: quamvis in omni vita eoſdem ut filios ſemper complexus fuerit. Frequenter inviſebatur à propiùs habitantibus ad Divæ Juſtæ cœnobium. Ex ijs erat Ludouicus de Avila magnus Ordinis Alcantaræ Commendator, Cæſareus Cubicularius, & incola Placentiæ, unde hæredem Mirabelliorum unicam in matrimonium duxerat. Adfuit hic quodam die, dum menſæ accumberet Carolus, qui cognito amici adventu, deguſtata pulli gallinacei parte, reliquum aſſervari pro Ludovico juſſit. Fieri enim, inquiebat, poſſet, ut nihil præterea ſupereſſet, quod hoſpiti apponeremus. Gaudebat huic colloqui ſuper geſtis in bello; Caroli quippe comes aſſiduus is fuerat. Inter alia affirmabat Ludovicus: ſibi in domo eſſe picturam, in qua prœlium cum Rege Galliæ habitum repræſentabatur ad Rentinum. Quæſivit Carolus, quæ diſpoſitio actionis in ea exhiberetur: atque intelligens pul-

 ſos

ſos è ſtationibus hoſtes, & in fugam actos ad vivum exprimi. Quæſo, inquit, Ludovice, fac, ut pictor moderetur exhibitionem facti; neque enim fuga, ſed laudabilis ad tutiora receptus hoſtium fuit; hunc ego malim coloribus, ut imitetur, non fugam. Adeò modeſtè de rebus abs ſe geſtis ſentiebat: adeò avulſus ab omni eo, quod ſapere poterat vanitatem: adeò ſolicitus & cautus, ne exiſtimationi proximi quidquam derogaretur. Simile præſtitit, cum in celebris Eccleſiæ ſepulchrum intelligeret inferendam eſſe magna cum pompa & inſtructiſſimis cum apparatibus quandam perſonam, cæteroquin non admodum honeſtæ, ex acta vita, recordationis. Itaque Cœnobij eius Priori dixit, ut miſſos faceret illos apparatus, ne publicitas ſepulchri revocet in memoriam ea, quæ ſilentio præſtabat abſcondere: non ſuffecturas quatuor annorum centurias, quæ agendæ de facinoribus pœnitentiæ tribuerentur. Magnam animi voluptatem capiebat ex converſatione amiciſſima Sancti Franciſci Borgiæ: Huic aliquando aſſeruit, ſummopere ſibi moleſtum eſſe, quod, ut cupiebat ad maiorem ſui corporis captandam mortificationem, non poſſet indormire veſtitus. Replicuit vir Apoſtolicus, multis noctibus, quibus Maieſtas veſtra, ære coopertus vigilavit, adſcribenda eſt hæc corporis nunc intemperies: attamen Deo agendæ ſunt gratiæ, quod meritorum amplius per annos præteritos reportaverit Maieſtas Veſtra inter

ter

ter vigilias, ac labores militares pro Ecclesia Dei exantlatos, quam potuerint consequi viri Religiosi quamplurimi, cilicijs quamvis perennibus, insepulti. Triduò Franciscum penes se detinuit. In digressu, jussit titulo Eleemosynæ, viro sancto enumerari ducenta scuta: prohibuitque Ministris, ne tegiversationem Patris ullam admitterent; dicerentque, quamvis perexigua hæc esset donatio; eam tamen, spectando currentem vitæ statum, & præsens ærarium, unam ex profusioribus, quos unquam contulisset, fuisse. Obijt Carolus sanctissimè in solitudine suscepta, annos natus quinquaginta septem; Princeps à virtutum multitudine incomparabilis, à rerum gestarum gloria immortalis.

§. IX.

Ferdinandus I. Benignus, Pius, verax, Justus.

MUltum, quod in Imperatore Ferdinando I. imitentur, habent Principes. Erat pius, clemens, affabilis, justus. Utebatur eò dicto frequentiùs: fiat Justitia, pereat mundus. Hanc potissimum in regnorum suorum tutelam adscivit. Magna cum circumspectione deligebat Tribunalium Judices, ac fori ministros. Privata sagacitate inquirebat in actiones singulorum. Quamque vole-

bat

bat coli â subditis, eandem ipse in viciniam omnem observabat. Principum nulli molestus, nullius adversus quenquam proditiones fovens, esto præsidia & castra adversariorum, tempore induciarum aperienda offerrentur. Tam germanam fidem admiratus obstupuit Solimannus Turcarum Imperator, & laudavit. Fuit miles, qui feudum promissum â Cæsare exigebat: Videbatur consilio Imperiali sufficere, si homo privatus pro feudo determinatam pecuniam acciperet, præstitis obsequiis competentem. At ego, inquit Ferdinandus, feudum illi pollicitus sum: verbo Cæsareo est standum; si jactura facienda est, minus verborum, quam rerum mearum fiat. Acceperat â Carolo Quinto investituram Witembergensis Ducatûs, exacto inde Udalrico, atque exauthorato. Quia tamen causa Ducis ad arbitros fuit devoluta, & supplex pro reo Saxoniæ Dux cum Principibus nonnullis Imperii rogabat, ne Ferdinandus jure rigido uteretur; commisit judicio eorundem universam sententiam: cumque illi possessionem toparchiæ Udalrico adjudicassent, retento penes Domum Austriacam supremo dominio, quamvis multi iniquè cum Ferdinando agi censuissent, acquievit tamen, plus paci publicæ, ac datæ fidei attribuens, quàm lucro privato. Miserat Maximilianum Filium, postea Imperatorem, ut nomine Philippi secundi, tum absentis, Hispanias moderaretur. Proficiscenti dedit scripto in mandatis. Primùm

mùm ut omnibus negotiis orationem, & missæ sacrificium præmitteret: deinde ne assentatoribus, aut morionibus aurem uspiam præberet: tum ne labori, & vigilantiæ parceret, si quo in casu fides & pacta antecessorum, aut verbum Principis periclitarentur: Cautè in omnibus, etiam coram amicis ageret: ne universa uni homini confideret; nervum quippe prudentiæ esse, non promiscuè, ac temerè collocare fiduciam. Negotia sua Ferdinandus primùm Deo commendabat, tum expendebat accuratè, demum cum peritis consultabat. Ad casus inopinatos dicebat; accidit in puncto, quod non speratur in anno: cui cum alius consultorum subdidisset; in puncto etiam amitti, quod recuperari in anno non possit: replicuit Cæsar; Ita omninò est: at in remedium adversus hæc oratio, & consilia prudentium supersunt.

Erat affabilis: officiique sui admodum studiosus; & facilis ad audiendum, si qui desiderarent alloqui. Habebat quotidie horas designatas, quibus cujusvis conditionis homines admittebat ad affatum. Singulos amœna cum dexteritate suscipiebat, & dimittebat cum humanitate, & clementia eximia. Animadverterat aliquando repulsam ab audientia fuisse fæminam pauperem, eò quod tempus constitutum jam, ut ajebant, diffluxisset. Reprehendit tamen ministros acriter, si, inquit, ab alloquio nostro repellimùs pauperes, quali cum merito consistemus coram tribunali divinæ Majestatis?

ſtatis? Accincto venationi faſcis integer memorialium oblatus fuit: hunc ille continuò præfecto venationum tradidit: at iſte alijs curis officij ſui intentus reſpondit, ſibi ignotam eſſe artem talium libellorum: Ergo patiamini, ſubdit indignatior Cæſar, ſecretarios horum negotiorum peritos competentibus ſtipendijs me alere. Venerat in aulam veteranus miles multorum annorum ſtipendia rogaturus: Cæſare gravius occupato, reſponſum tulit, opportuniori tempore veniret. Urſit aditum nihilominus miles, pollicitus non plura tribus ſe verba facturum. Edoctus ſuper hominis inſtantia Cæſar, admitti militem jubet, ſed cum pacto, ne plura, quam quot promiſiſſet verba, proloqueretur. Tum ille ad Cæſarem; ſolve, aut manumitte. Et Cæſar humaniſſimè: non manumitto, ſed ſolvo. Juſſitque deſiderato ſtipendio poſtulantem expeditè donari. Fuit Princeps temperans,& modeſtus. Non ſumptuosè cibabat: non inhærebat convivio, ut temporis amplius daret negotijs. Inter accumbendum delectabatur eruditorum concertationibus; promovebat ipſe quæſtiones de Philoſophia naturali, & morali, atque etiam hiſtorijs. Interdum prælegi ex libro audienda curabat: denique id tempus magis voluptati, ac refectioni mentis, quam corporis ſaturitati tribuebat. Non amabat in conventibus, ac dietis Procerum inductas comeſſationes: ubi exceſſum notaverat, audivêre

dicentem; memineritis non isthuc vos commessandi aut compotandi, sed negotiorum Imperij causâ venisse: officij vestri curam agite, & temperantiam illi exequendo assumite. Profecturus longiùs unà Imperatricem, ac gynæceum deducebat. Improbantibus expensas quæ propterea graviores, ac minus necessariæ fiebant, respondit; Principem decet castum vivere: maior in sexum hunc, quando alienus est, fit opum profusio, quàm in propriam uxorem.

Animi relaxationibus honestissimis se dabat. Primùm delectabatur viris eruditis, quos deducebat semper. Habebat in symbolo librum, quò documento monstrabat, quantum sapientiæ tribueret, quamque vellet esse Protector, ac fautor perpetuus eruditorum. Ajebat præeligere se jacturam universi thesauri, magis quàm eruditionis. Inter aulicos non minor erat numerus literatorum, quàm Procerum. Majestatem Principis, inquiebat ac pretium niti sapientia æquè, ac nobilitate aulica, & profitebatur auxilio sibi ubique præsentiore fuisse homines doctos, quam nobiles. Et certè prudens consilium vi armatâ Principi semper utilius est. Ipse vero erat librorum non minus amans. Deferebat plerumque secum, quà ibat, instructionem gubernandi, quàm cum voluptate identidem evolvebat. Librum Ciceronis de officijs â pueritia intimè complexus, adeò habebat familiarem, ut integras, productasque ex eo sententias apposi-

tè ad

tè ad rerum eventus memoriâ retentas recitaret. In historiarum notitia apprimè versatus, multos historicorum magnis impensis typis tum primum in lucem protractis edi fecit.

In artibus mathematicis curiosus, insignes mathematicos fovebat, à quibus cursum astrorum, & considerationes stellarũ edocebatur. Venationum erat amans, ita tamen ut nihil occupationibus Imperialibus, pauperumq; causis impedimenti facesseret. Horum eo ipso tempore lites tractabat, & decidebat: nec admodum erat scrupulosus in ferarum vivarijs vindicandis, quamvis interdicta ab aliquo convellerentur. Tulerat equidem legem, ut qui involasset ferarum cancellos, oculis erutis pœnam lueret: at contigit ab homine rustico peccari in legem: jamque in proximo esse, ut pœnas daret temeritatis. Re intellectâ Cæsar liberum dimitti mandavit: asserens nolle se hominem cum fera in pretio componere: malè in compensationem bruti animantis, venire organum adeò opportunum vitæ, ut necessarium sensui.

Assentatores odio quàmmaximè habebat. Non ferebat ampullas titulorum, & magnificos cognominum apparatus. Aiebat se coram Deo non differre à cæteris hominibus. Mortem sibi æquè, ac Singulis, communem esse: pariter se, atque alium quemque Dei judicio sistendum: alterius speciei, ac formæ minimè; sed similis naturæ ac conditionis humanæ natum. Visus fuit per mor-

tis meditationem crebriorem obtinuisse, quòd tempus prænoverit sui obitûs. Affirmavi moriturum se in festo S. Jacobi Apostoli: Divinam bonitatem constituisse, ut quemadmodum ille in Hispania, ita ipse in Germania peregrinus viveret. Quare ipso die festo S. Jacobi obijt in Germania, in qua plurimam ætatis partem peregrè exegerat, natus olim, atque educatus in Hispania. Salutis suæ curam, incolumitati Ecclesiæ per Imperium posthabuit. Pro hac quotidie Deum supplex orabat: & in morte unum hoc illi desiderium superfuit, unica & anxia solicitudo, ut conservaretur.

§. X.

Maximilianus II. à Justitiæ, Clementiæ, temperantiæ virtutibus Illustris.

TAlem se gessit Maximilianus II. ut patrui Caroli quinti amorem intimum sibi demeruerit. Prudentissimus Carolus â Maximiliano nepote filius audire cupiebat. Ita demirabatur generositatem, indolemque â tenerâ etiamnum ætate aspirantem. In generum postea sibi hunc adscivit, plurimùmque Maximiliani ingenuitate delectatus, voluit hunc ad comitia Augustæ indicta auspicium dietæ facere perorando elegantissimam, quam confecerat dictionem. Dignissimum Imperio

rio Justitiæ virtus præstitit. Hanc quia impensius colebat, etiam quacunque incederet, reverebatur. Pertransiens suppliciorum stationes & columnas posito galero in signo Numen virtutis venerabatur. Magno illi in pretio erat tribunal Spirense, omnique illud authoritate firmabat, ac tuebatur. Dicasteria, & cancellarias â patre erecta illico â suscepto diademate rata habuit: addiditque singulis executores strenuos, & magistratus subalternos, qui judicum pronunciata cum potestate in usum, expeditionemque converterent. His auctoritatem contulit, adversus quam nulla vis superior audere posset. Plurimùm delectari erat solitus, cum lites finirentur partium compositione, non expectata severitate judiciorum. Siquidem præstolari sententiam nihil aliud esse censebat, quam multiplicare sumptus, aut parare viam inquietudinibus animi, periculisque non raro sese exponere gravium delictorum. Quare ut nobiliorum litigia abrumperet, accersebat illos peramanter, hortabatur de jure mutuo aliquantum remittere, quo sese expediant promptiùs â fastidijs multiplicibus, â sumptibus immodicis, â dilationibus molestis, ab odijs, & discrimine perjuriorum, ac falsorum testimoniorum, aliorumque inconvenientium, quorum operosæ lites seminarium existunt. Hac ratione concordavit Principes Hassiæ cum Nassavijs, Item Norimbergenses cum Marchione Brandenburgensi. Ponebat itaque princi-
 pem

pem curam in restinguendis litibus, suadendo arbitros prudentes, absq; tractu, qui necessariò succedebat morosorum tribunalium.

Justitiæ consociaverat affabilitatem, nullo rigore tristiùs obarmatam. Facilis accessu, promptior in favorem miserorum, benignè cum singulis, atque in cujusque vernacula colloqui solitus. Sine molestia audiebat, sine mora expediebat. Erat, qui alteri adversatus, improbè insultaverat. Præventurus sui accusationem apud Cæsarem, præoccupavit aditum. At Cæsar: animadverto reum, contra quem quereris malè abs te tractatum salire in gradus ad conclave non potuisse. Descendam ad illum per scalas, ut audiam: Nescio enim, quid sinistri mihi aures accinant. Hæsit accusator confusus, & Cæsaris æquitatem in modo inter partes procedendi adoravit.

Magnanimus in condonandis injurijs vix sensum illarum præseferebat, illicò oblivisci visus. Nec vindictæ cupiditas, nec fames opum, nec regnandi ambitio removebant Maximilianum â gloria Principis justi & clementis. Opportunius censebat esse dissimulare, & aliquantum pati, quam publicam tranquillitatem convellere. Non obesse murmura eorum, qui facilitatem in condonando carpunt, modo excessus plectendo non incurratur. Probè noverat multos Maximilianus, qui in se peccaverant, tectas tamen eorum nequitias tectius dissimulavit. Arguebat nonnemo consiliario-

liariorum; clementius cum captivis Turcis, qui detinebantur in carcere, agi, & censebat esse extinguendos: An vero, subjecit Maximilianus, sic bellum cum ea gente finietur? num non supererunt, quos præterea expugnemus? si hostes aperti sunt, ita eos tractemus, qualiter haberi ab ipsis captivi optaremus. Non deerat acutissimis responsis. Bene precati fuerant Maximiliano Proceres, quod exegisset annum climactericum sine incommodo. Et Cæsar: mihi, vobisque omnes anni sunt climacterici; nescientibus, quippe constitutam horam mortis, ea quovis die, quavis hora restat expectanda. Expendens multiplices legum expositiones, & glossas, atque ad judicum ingenia non unum earum sensum, ajebat, cereum legibus nasum esse, ut quæ in omnes partes accomodari se patiantur pro libito versantis. Rogatus à Principe, ut mediatorem inter controversos duos adolescentes fratres ageret, quorum inimicitiæ affuso indies oleo magis incalescebant: Reposuit Imperator: Perfacile est rotam impellere, dum non fertur ab impetu, at raptam, quis sistat? Faciam tamen, quod majestatis Cæsareæ, & intercessionis vestræ ratio feret.

Aulam habuit, quæ eruditorum dici potuit encyclopædia. Aderant graves Historici, insignes Mathematici, prudentes Politici, diserti Oratores, acuti Poetæ: amabat omnes, honorabat singulos. Eorum paginis circumferebatur per or-

bem Maximilianus. Sæpius Viennam Austriæ se transferebat, ut celeberrimæ ab omnigena doctrinarum laude isthic Universitatis gustum caperet. Non dimittebat diem, quo erudito cuipiam non se communicaret Septem linguis perfectè loquebatur, callebat Germanicam, Hispanicam, Italicam, Bohemicam, Gallicam, Ungaricam, Belgicam. Astronomiæ, cæterisque mathematum disciplinis addictus, nullam tamen Astrologiæ fidem statuebat. Ut judiciariam aliquando confunderet, quærebat à sciolo quopiam, num qui ad Cannas perierant, uno, eodemque sub astro fatali fuerint: num singuli, qui excellenti rum florebant ingenio, in idem diei punctum olim nascendo inciderint: ridiculam fore alioquin stellarum doctrinam, nec aliud præter influxus in sublunaria planè materiales operari. Deliciabatur ex ferarum venatione, cum ea tamen moderatione, ut culparet proceres, si quos huiusmodi exercitio deditiores comperisset. Aiebat; occupationem istam viris Principibus dignam esse, sic tamen, ut minimè distrahat à munere publico. Victûs temperantiâ singulari vitam conservavit. Non edebat ultra constitutum pondus. Cæterà Princeps omni virtute ut regia, & politica, sic œconomica, & privata ornatissimus.



§. XI.

§. XI.

Rudolphus II. à sapientia, cultu pacis, amore eruditorum celebris. Eius & Matthiæ Fratris occupationes illustres.

RUdolphus II. & Matthias huius nominis I. Patre Maximiliano II. editi avitam maiorum gloriam ſerie Auguſtæ imitationis, atque in Imperio ſucceſſionis nobilitarunt. Fuit Rudolphus literarum, & literatorum amantiſſimus, quæ magna Principum eſt commendatio. Supra theſauros omnes æſtimabat eruditionem, atque eruditorum converſationem. A remotiſſimis Imperij finibus evocabat, ſi quos inaudiſſet ex fama florere, viros doctos. Ex his fuere Tycho Brahe, & Joannes Keplerus in Aſtronomicis celebratiſſimi, & Ptolomæo pares. Horum, aliorumque ingenium, præſentiamque amabat, æſtimabat, honorabat, dies, noctesque lateri ſuo applicitos volebat. In hos munificus, non parcebat impenſis, quibus promoverentur eorum ſcientiæ per experientiam, & inſtrumentorum multiplicem apparatum. Debentur Rudolpho tabulæ ab ipſo cognominatæ,ut ab Alphonſo Rege Alphonſinæ, ambæ inſignes, & ſuorum gloriam authorum, ſapientiamque loquentes. In Bibliotheca Viennenſi

asservatur codex scriptus latino idiomate, propriâ manu Rudolphi exaratus, elegantiæ, prudentiæq; compendium. Callebat Germanicam, Hispanicam, Gallicam, Italicam, Bohemicam, ac Latinam linguam. Eruditissimus erat in quovis artium genere: edebat responsa sensatissima, maximè ad propositiones fortuitas, Oratoribus exterorum Principũ admiranda. Legatum Regis Poloniæ bene longa, eaq; eruditissima oratione, in capita, & partes divisa loquentem audierat; atq; illicò eloquentissima alia latino sermone concepta dictione respondit, ad singula propositionum momenta accuratè prolocutus. Aderat Julius Dux Brunsuicensis, qui obstupescens facundiam, eruditionemque Cæsaris, affirmavit, nisi adstitisset præsens dicenti, fidem tanto doctrinæ prodigio nunquam se habiturum fuisse. Exinde, quas antea differebat mittere Rudolpho adversus Turcam suppetias, profusas obtulit, & constantes misit.

Tam exaggerata sapientia cohærere debuit cum victûs egregia temperantia. In edendo & bibendo valde abstinens fuit. Uno ferculo, ad summum duobus contentus mensæ accumbebat: condimenta ciborum vulgaria, caro vervecina, aut communior alia, nihil altilium, aut exquisitarum dapium apponebatur. Nec inde mirum imperasse tam pacificum, qui adeò sobrius vivebat. Bellum quod gessit, susceptum, aut voto auctioris tranquillitatis, aut necessitate tutandi Chri-

Christiani nominis fuit. Adversum Turcas gloriosas victorias retulit. In artium, ut scientiarum cultura par extitit. Pingebat elegantissimè. Non dubitavit quidam scribere ad æmulationem Apellis pinxisse, habuisseque plus aliquid humani penicillum Rudolphi. Suâ manu coronam auream, ac mensam solis lapidibus pretiosis tessellatam, opus artis, & ingenij eximium confecit. Horologia rotatilia affabrè, & scitissimè elaborabat. Hæ illius animi diversiones & deliciæ, prorsus à tesseris, cæterisque ludicris alienæ. Paulò aliter Matthias ingenium, & manus occupabat. Totus ferebatur in machinas militares, & statuariam, quibus operam assiduus, dimissis alijs oblectamentis ut frater, impendebat. Non exercent corpus chartæ, ac fritilla, ut ludos Principum convenit; imò animum si perdas, non sublevant, sed inquietant. Rudolphi, ac Matthiæ occupationes absque periculo jacturæ, absque dedecore inquietudinis erant susceptæ. Mentem à curis fatigatam recreabant, & corpus exercitatione vegetum conservabant.

CAPUT III.

Regum Hispaniæ virtutes.

Imperatorum de Castellana, & Austriaca Domo virtutes, pares famâ, atque immortali memoriâ

moriâ digniſſimas conjungo Regū Hiſpaniæ virtutibus. Non colligo univerſas in brevem faſciculum, nec multas ſingulorum extendo: labor foret immenſus. Eas delibabo duntaxat paucorum, quas erudiendo Principi, qui in apicem veræ gloriæ contendit, illuſtriumque majorum veſtigijs ſapienter inhæret, opportunas exiſtimavero.

§. I.

Zelus, Religio, Generoſitas Sancti Regis Ferdinandi.

NEc defuit Hiſpaniæ coronata ſanctitas. Nomen Ferdinandi in ea ex pluribus palmam tenet; ac potiſſimum Tertij, qui monarchiam Hiſpanicam fundavit, uſque hodie ſemper auctam, nunquam diminutam. Primùm hujus Principis virtutes propono: Quoad vixit, zelo Religionis caluit, & continuis adverſus Chriſtiani nominis hoſtes triumphis inclaruit. Ex perpetua ſanctimoniæ, generoſitatis, ac felicitatis ſerie prodigioſus fuit. Epiſcopus Palentinus eius vitam conſcripſit, quæ in ideam Regibus, in miraculum cæteris poteſt venire. Gloriam Ferdinandi, quem Auguſti nomine inſignitum vult, auſpicatur ab amplificatione coronæ. In quo heroum veterum monumenta prætergreſſus, accumulavit bona domeſticis, mala in adverſarios refudit. Sceptro Caſti-

Castiliæ, & Legionis plura addidit diademata, sed emolumento Religionis Catholicæ, quam suspirabat unicam, dicata. Mauros quamplurimis prælijs devicit, Sevilliam, & Cordubam, Andalusiamque regno apposuit. Regem Granatensem tributa pendere coëgit, ausus in trecentorum lanceariorum comitatu ad exigendum mille maravidiorum auri quotidie tribuendorum pensum in hosticum excurrere. In expeditionibus bellicis provolabat instar fulminis. Cordubam fortuito impetu cepit. Nam intelligens Christianos vicum urbis vi adortos expugnasse, ipse munitissimam, validissimamque tum civitatem Benevento advolans, non expectatis fortioribus copijs, aëre quamvis turbulento, cænosisque itineribus, centum tantumodo stipatus equitibus, adortus expugnavit. Sanè occasionem prævenisse visus fuit, quandoquidem eâ vix ostensâ, præsentiâ suâ paucitatem commilitonum erexit, & eorum, quos pertransibat animos, ad sequelam impulit, ac vinci nesciam urbem patere victoribus fecit.

Laborum tolerantissimus, exemplo suo infatigabilem reddebat militem, quem exercitiis militaribus indefesse occupabat, etiam cum hostis deerat: asserens; usum armorum plus robore valere, Nemo in ordinanda acie expeditior, in præcavendis periculis oculatior; in divertendis hostium technis accuratior; in expugnandis stationibus valentior. Tantam tamen genii heroici celsitu-

dinem

dinem demiſſionis Chriſtianæ virtute attemperabat. Ideoque victorioſiſſimum evaſiſſe cenſuit Rodericus Placentinus. Sæpe in Ferdinandum omnis à ſedibus Affrica tranſiiſſe in Hiſpaniam credebatur. At confiſus in adjutorio Altiſſimi rumpebat aciem, diſſipabat hoſtes. Nunquam niſi victor è prælio diſceſſit, nunquam obſidionem niſi urbe capta ſoluit, nullam gentem aggreſſus eſt, quam non diſperdidiſſet, aut in fugam conjeciſſet; nullam rem intentione concepit, quam executione non confeciſſet. Pro adagio uſurpabat frequenriſſimè Davidicas voces: DEus adjutor meus, quem timebo? Divino fretus ſubſidio, in quo plurimùm fidebat non invincibilis modò, ſed victor continuò evaſit: omnes tamen triumphos Deo in acceptis reponens, nihil propriæ exiſtimationi approprians. Initio belli præmittebat intentionem à vanitate mundi defæcatam, ſolâ animatam cupiditate proferendæ gloriæ divinæ. Obtento autem triumpho, utebatur victoriâ, non amplificando modò terreſtri, ſed cum maximè cæli Imperio. Nullum bellum geſſit, cui cauſa juſta non interveniſſet. Meminerat laudatiſſimæ vocis ab Auguſto Cæſare dictatæ: Vanam eſſe jactantiam, vitioſamque animi levitatem, auferri â deſiderio trophæorum, & laureæ, quæ nihil profert, præterquam folia ſine fructu: ad hæc conjicere in diſcrimen atque incertos eventos ſecuritatem, ac vitam ſubditorum. Uſurpabat & il-

lud

lud Scipionis: præstare unum civem servari, quàm mille hostium perimi. Interrogatus, quâ felicitate tot Provincijs regnum Patrium adauxisset per tot Regum studia incassum quæsitis? respondit; fortè prædecessorum meorum scopus magis fuit amplificare regionem, quam Religionem; magis adaugere gentem, quam divinum cultum stabilire; ideoque in vanum laboraverint non cooperante Deo in causa aliena. Tum sublatis in cælum oculis: Tu Domine, inquit, nosti, cui cordis humani abdita patent, quantò amplius tuam, præ mea gloriam quæsiverim, quantò concupiverim ardentiùs fidei amplificationem; præ incremento regni. Respondebat & illud: non suis meritis evenire felicitatem adeo exaggeratam, sed provocari illam â perfidia, qua inimici in Deum contumaces vivunt.

Haud dubiè tamen meritis, ac Virtutibus Ferdinandi respondebant cæli favores. Eo succendebatur Zelo fidei divinæ vindicandæ, ut suis ipse humeris ligna comportaret exurendis hæreticis, suis ipse manibus pyram admotâ face inflammaret. Refert Marianus Siculus, consuevisse Ferdinandum deportare quacunque abiret effigiem Salvatoris, quam eximijs apparatibus adornabat; coram hac in oratione genuflexus, quidquid orabat, exorabat, non una subinde in Mauros victoria remuneratus. Deferebat quoque inter scrinia binas Deiparæ Imagines, argenteam unam, quæ erat Dei-

parentis cum Christo infante inter brachia delato assidentis: alteram eam, quæ Hispalensibus dicitur Deipara â regia manu. Alij â Ferdinandi manu fabre factam, alij Angelica ope conflatam credunt. Certè eam pro merito nuncupare convenit matrē Victoriarum, nempe cui Ferdinandus trophæa singula adscribebat, cujus nomini sumptuosissimam postea Ecclesiam dedicavit, quæ Hispali Maurorum infami delubro successit. Huic imagini asservandæ, ut Reginæ, ædem condidit, regios ministros instituit, regios apparitores nominavit, custodiam, & feciales attribuit, cubiculi præfectam designavit, cujus modo officium, titulosque una nobilissimarū fœminarum gerit. Hanc effigiem deportans Hispalim, recenter â Mauris vendicatam, intravit, ac triumphum egit. Per visum antea sancto Regi Divus Isidorus, quondam Urbis Episcopus apparuerat, monueratque â gentilibus occupatam, uti Divus optabat, Christo restitueret. Quare, ut in horis Canonicis Ecclesiæ Hispalensis legitur, incensus hortatu cælesti Rex animum expugnandæ in Provincia principi Urbi applicuit. Cinxit primùm acri obsidione locum, tùm fortiter oppugnavit, compulitque ad deditionem, demum triumphans ingressus dedicavit armorum Præsidi Deiparæ, cujus iconem, Regij exercitus Palladium, supplicatione indicta in Urbem invexit. Alias ubi prælium imminebat, præmittere erat solitus peregrinationes ad sacra Odea, & locupletes erogabat

Elec-

Eleemosynas. Multa templa & cœnobia dotavit, ditavitque: Toletanam Ecclesiam â fundamentis erexit, lapidem primum illi superstruendæ manu suâ collocavit: Patronum Religiosorum ordinum, ac piarum causarum constantem egit. Captâ Cordubâ animadvertens campanum æs ad D. Jacobi ab Almancore ad Maurorum Mesquitam translatum fuisse, ibique in æneas lampades conversum: ne ultra dedecori istud Hispanæ gentis foret, neve Christiano probrosum nomini; mandavit campanas loco restitui, & quidem humeris Maurorum in sedes pristinas reportari. Deditissimus sacræ cum Deo conversationi prodigiosis â Numine gratijs honoratus fuit. Triduo intentus orationi impetravit Raymundo Bonifacio vires ad perrumpendam catenam, quam per Guedalquivir fluvium Mauri tetenderant, removendo ab Hispali periculo. In expugnatione Murciæ obtinuit Alphonso filio tutelares de cælo Angelos, ac divi Jacobi præsidium, qui visibili aspectu pugnantem juverunt. Fertur Ferdinandi sanctitas stitisse solem, ut quondam Josue, dum Don Perez Correa cum hoste confligeret. Fertur per Regis meritum stetisse, quod eo imperante, nec fame, nec peste, nec incommodo quoquam regio laboraverit, secundantibus ad votum securitate rerum, ac tranquillitate Memorandum est facinus, quod in obsidione Hispalis attentavit, referentibus Historicis. Videbatur Ferdinando fastidiosius pro-

longari urbis deditio. Attribuebat ſuis peccatis anxius tardantem de cœlo benedictionem. Quare inſiſtebat orationibus, Deum, Deiparamque ſuam calentiſſimâ prece demerendo. Quâdam nocte, quam in oratione proſtratus coram ſacratiſſima Divæ Virginis icone, totam exegerat, audijt ab illa ſibi loquentem Divam, uti confideret in auxilio cæleſti: propediem Hiſpali potiturum, & glorioſo fine terminaturum ſuſceptos labores. Erectus itaque promiſſis in pedes, ſolus, ſine comite, nec obſervatus â ſuis, abit â tentorio, urbemque hoſtium intrat, per eam, quæ nunc occluſa viſitur, portam; inter binas alias, xerem, ac turrim auream dictas, tum ſitam, ac patentem. In urbis aditu non advertenti enſis â latere decidit. tum ad delubrum Maurorum majus penetrat, & adorata, quæ ibi ſupererat â priſtinæ Religionis temporibus imagine pervetuſta, eâdem, quâ venerat viâ, ad tentorium ſuum revertit, rurſus enſe, quem dimiſerat in porta, mirabiliter ſuccinctus. Interea Petrus Gusmannus, Petrus â Ponte, & Ferdinandus Diannès hujus frater, non repertum per tentoria Regem, toto exercitu disquirunt. Tandem ad ſtationem Roderici Gonzalez Giſſonij & Jacobi Lopez de Haro delati ſunt ex adverſo portæ Macarenæ metantium. Suſpicantur id quod erat, Ferdinandum in Urbem penetraſſe. Aſſumptis ergo ſex alijs ſecum generoſioribus cum parvo milite, & ipſi urbem intrant, procurruntque ad delubrum

brum majus. Mauri circumfusi stupent audaciam, opponuntque arma, fit conflictus acer, cadentibus utrinque multis,hæretq; anceps prælium. Recipiunt se tandem itinere, quo venerant Hispani, revertuntque ad tabernaculum Ferdinandi, qui super eorum magnanimitate lætus majorem in eorum animis plausum excitavit, quod incolumem Deo dante se quoque recepissent.

Clementiâ ac benignitate impensis prima jecit fundamenta conciliando, atque ad fidem Christianam convertendo Regi Valentiæ Abuzito. Hic Cuencam excurrerat ad Ferdinandum postulaturus inducias. Honorificè acceptum Maurum complexus Rex amantissimè sub umbella regia sedere fecit, regali magnificentiâ coluit, postulatis liberaliter annuit, promptam ad ulteriora impetranda voluntatem obtulit, sua protectione profusè impensa donavit: Effecitque,ut Maurus mansuetudine Ferdinandi captus devinctissimus postea manserit. Clementiam porrò etiam dextrè subtrahebat operi,Davidis exemplo, cùm severitate agendum supererat. Seditiosorum Toleti nonnullos manibus ac pedibus mutilari fecit, alios conjici in cados aquæ bullientis; ratus aliquando opportunum esse publicæ tranquillitati impendere rigorem sententiæ. Attamen in administratione justitiæ cavebat, ne plus æquo premerentur pauperes, dum potentiores facile à cippo evolvuntur. Proinde egentibus ita patebat apud Fer-

dinandum Tribunal, ut ærarium regium affluentissimè. Hæc quippe regiæ tum celsitudinis, tum muneris laus est, oppressos in libertatem solvere, favere desertis, afflictos consolari.

Quoad vixit, religiosissimè progenitores coluit, ne levissimo passus digustu offendi. Rex Legionis, idemque Pater Ferdinandi nobiles Castellanos quosdam contra fas, & æquum tenebat in vinculis. Huc eos regia indignatio, atque æmulorum invidia conjecerat. Potissimum ferebat ægrè Rex, quod vivo se Regnum Castiliæ materno jure Filio debitum ad Ferdinandum pervenerit. Potentior exinde Patre Ferdinandus nunquam in animum induxit, ut ostensis armis tumultuantem placaret. Vi solâ precum, ac literarum egit, ut rebus suis pacificè sibi uti liceret. Ita scribebat aliquando: Domine Parens, Rex Legionis, Domine mi Alphonse. Quæ indignatio hæc, per quam mihi creare damna, & inferre bellum moliris? demeruisse me paternā gratiam nescio. Videtur mea ti i fortuna non placere: quamvis deberet esse longè gratissima, quod filium habeas, Castiliæ Regem, honorum tuorum studiosissimum. Nemo insultare tibi, seu Maurorum, seu Christianorum Principum, dum faveo, inultus poterit. Unde adversatio tanta? nullum à Castilia damnum, nullum bellum dum vivo: unde tibi antea hostis, inde nunc defensor & amicus. Si tuus non essem, possem ex te unnociter ex te universis Principibus risum facere.

Sed

Sed iſtud nolo; nec me decet in Patrem, ac Dominum meum eſſe crudelem. Satius eſt patienter ferre injuriam, atque excuſare, quod proveniat ab inadvertente.

Perlectâ Epiſtolâ Alphonſus verbo reſpondit: prætenditque belli cauſam procedere ex debita, nec perſoluta à Rege Caſtiliæ certa pecunia. Non diſtulit illicò Ferdinandus coloratam quantumvis prætenſionem amovere, ac potius elegit, quod poſtulabat æris inclementior Pater, erogare, quàm diutius irritatum pati.

Obſervantiſſimus fidei Regiæ promiſſam aliquando Menriſam civitatem Regi Granatenſi ſine mora, ut petenti cederet filius natu majòr mandavit. Eidem injunxit, ut omnia, quæ in ſubditos jura prætendebat dimitteret, ac milites ſtipendia promiſſa rogantes illicò audiret Plurimùm afficiebantur Mauri Ferdinando ob conſtantem in pollicitis fidem. Caſtimoniæ amans cilicio carnem domabat, triduò per hebdomadem flagris ad profuſionem ſanguinis in pavimentum devoluti, in ſe ſæviebat, conduplicabat actus pænitentiæ; cùm aut expeditioni ſe accingeret, aut pugnam iniret: Imò per id tempus circumdabat nudo lateri, & brachiis cilicium punctis aculeatis ferri obarmatum. Senſit acerbè, quando audivit petulantem fæminam ſolicitaſſe caſtitatem Religioſi cujusdam ex familia Divi Dominici, atque hunc,

quò se à laqueis importunis expediret, necessitate adactum in focum conclavis insiliisse. Itaque vindicaturus sibi charam puritatem jussit impudentem, in pœnam impuri caloris, igne succenso absumi.

Demum justitiæ, & sanctimoniæ per omnem vitam amantissimus fuit Ferdinandus. Interrogatus sub ultimo quo obiit, morbo, num constitueret de ratione sepulchri, num in sui monimentum statuam sibi collocari mandaret? Vita, inquit, quam egi: quantum valui irreprehensibilem, atque inculpatam; actionesque meæ mihi in mausolæum sint & colossum. Planè, ut quondam Cato major, qui amicis illustres in foro Romano civium statuas & monumenta narrantibus, ac simul indignantibus, nullam hactenus earum Catonis memoriæ fuisse consecratam: respondit: factum optimè: malle se, ut mirentur homines, quod honore caruerit, quam ut mirentur simili honore se affectum fuisse.

Ideam consummatæ virtutis in vita, singulariter autem in morte exhibuit Ferdinandus. Concordi voce scriptores sanctissimam, devotissimam, gloriosam pronunciârunt. Collegit ibi in puncto virtutum sphæram amplissimam, ac meritorum. Mandavit, ut circumstantes universi hymnum Ambrosianum decantarent, tum subjungerent responsorium, ab Episcopis dici solitum, quando cum supplicationibus publicis ineunt templa noviter

viter Deo, & Deiparæ consecrata. Hilaritas hæc cantionis fuit tessera serenitatis internæ, quæ est propria animarum sanctarum, & mentis ad reddendas rationes quàm optimè comparatæ, ut notat magnus Gregorius.

Admirabilis præterea fuit Regis Ferdinandi sub ultimum vitæ tempus ad mortem comparatio. Præmisit contritionem, ac pœnitudinem accuratissimam, sine qua, ut docet S. Augustinus, nemo quantumlibet sanctus tutò abit ex vita. P æmisit calentissimos fidei actus, adoratores m steriorum DEI, & veneratores sancti sanctorum. Præmisit humillimos reverentiæ affectus versùs omnem Christianæ doctrinæ observantiam. Præmisit spem, fiduciamque devotissimam, sitam in cruce, passione, & morte Christi Domini. Præmisit abjectissimos sui contemptus, regiæque Celsitudinis pronissimam in consideratione cælestium abjectionem. Præmisit consignatam in manus altissimi universæ, quam de manu Dei acceperat monarchiæ administrationem. Præmisit singularum in domesticos, ac populum obligationum cumulatam executionem. Fidem dictis addat pervetusta historia, in supplementum Roderici Archiepiscopi Palentini conscripta. Imminente, inquit, transitu à sæculo fallaci ad immortalis vitæ claritatem, accersiri voluit Ferdinandus Philippum filium, tùm Archiepiscopum Hispalensem cum clero universo: petiitque in

dinem demissionis Christianæ virtute attemperabat. Ideoque victoriosissimum evasisse censuit Rodericus Placentinus. Sæpe in Ferdinandum omnis à sedibus Affrica transiisse in Hispaniam credebatur. At confisus in adjutorio Altissimi rumpebat aciem, dissipabat hostes. Nunquam nisi victor è prælio discessit, nunquam obsidionem nisi urbe capta soluit, nullam gentem aggressus est, quam non disperdidisset, aut in fugam conjecisset; nullam rem intentione concepit, quam executione non confecisset. Pro adagio usurpabat frequentissimè Davidicas voces: DEus adjutor meus, quem timebo? Divino fretus subsidio, in quo plurimùm fidebat non invincibilis modò, sed victor continuò evasit: omnes tamen triumphos Deo in acceptis reponens, nihil propriæ existimationi approprians. Initio belli præmittebat intentionem à vanitate mundi defæcatam, solâ animatam cupiditate proferendæ gloriæ divinæ. Obtento autem triumpho, utebatur victoriâ, non amplificando modò terrestri, sed cummaximè cæli Imperio. Nullum bellum gessit, cui causa justa non intervenisset. Meminerat laudatissimæ vocis ab Augusto Cæsare dictatæ: Vanam esse jactantiam, vitiosamque animi levitatem, auferri â desiderio trophæorum, & laureæ, quæ nihil profert, præterquam folia sine fructu: ad hæc conjicere in discrimen atque incertos eventos securitatem, ac vitam subditorum. Usurpabat & illud

lud Scipionis: præstare unum civem servari, quàm mille hostium perimi. Interrogatus, quâ felicitate tot Provincijs regnum Patrium adauxisset per tot Regum studia incassum quæsitis? respondit; fortè prædecessorum meorum scopus magis fuit amplificare regionem, quam Religionem; magis adaugere gentem, quam divinum cultum stabilire; ideoque in vanum laboraverint non cooperante Deo in causa aliena. Tum sublatis in cælum oculis: Tu Domine, inquit, nosti, cui cordis humani abdita patent, quantò amplius tuam, præ mea gloriam quæsiverim, quantò concupiverim ardentiùs fidei amplificationem; præ incremento regni. Respondebat & illud: non suis meritis evenire felicitatem adeo exaggeratam, sed provocari illam â perfidia, qua inimici in Deum contumaces vivunt.

Haud dubiè tamen meritis, ac Virtutibus Ferdinandi respondebant cæli favores. Eo succendebatur Zelo fidei divinæ vindicandæ, ut suis ipse humeris ligna comportaret exurendis hæreticis, suis ipse manibus pyram admotâ face inflammaret. Refert Marianus Siculus, consuevisse Ferdinandum deportare quacunque abiret effigiem Salvatoris, quam eximijs apparatibus adornabat; coram hac in oratione genuflexus, quidquid orabat, exorabat, non una subinde in Mauros victoria remuneratus. Deferebat quoque inter scrinia binas Deiparæ Imagines, argenteam unam, quæ erat Dei-

paren-

parentis cum Christo infante inter brachia delato assidentis: alteram eam, quæ Hispalensibus dicitur Deipara â regia manu. Alij â Ferdinandi manu fabre factam, alij Angelica ope conflatam credunt. Certè eam pro merito nuncupare convenit matrē Victoriarum, nempe cui Ferdinandus trophæa singula adscribebat, cujus nomini sumptuosissimam postea Ecclesiam dedicavit, quæ Hispali Maurorum infami delubro successit. Huic imagini asservandæ, ut Reginæ, ædem condidit, regios ministros instituit, regios apparitores nominavit, custodiam, & feciales attribuit, cubiculi præfectam designavit, cujus modo officium, titulosque una nobilissimarũ fæminarum gerit. Hanc effigiem deportans Hispalim, recenter â Mauris vendicatam, intravit, ac triumphum egit. Per visum antea sancto Regi Divus Isidorus, quondam Urbis Episcopus apparuerat, monueratque â gentilibus occupatam, uti Divus optabat, Christo restitueret. Quare, ut in horis Canonicis Ecclesiæ Hispalensis legitur, incensus hortatu cælesti Rex animum expugnandæ in Provincia principi Urbi applicuit. Cinxit primùm acri obsidione locum, tùm fortiter oppugnavit, compulitque ad deditionem, demum triumphans ingressus dedicavit armorum Præsidi Deiparæ, cujus iconem, Regij exercitus Palladium, supplicatione indicta in Urbem invexit. Aliàs ubi prælium imminebat, præmittere erat solitus peregrinationes ad sacra Odea, & locupletes erogabat

Elee-

Eleemoſynas. Multa templa & cœnobia dotavit, ditavitque: Toletanam Eccleſiam â fundamentis erexit, lapidem primum illi ſuperſtruendæ manu ſuâ collocavit: Patronum Religioſorum ordinum, ac piarum cauſarum conſtantem egit. Captâ Cordubâ animadvertens campanum æs ad D. Jacobi ab Almancore ad Maurorum Mesquitam translatum fuiſſe, ibique in æneas lampades converſum: ne ultra dedecori iſtud Hiſpanæ gentis foret, neve Chriſtiano probroſum nomini; mandavit campanas loco reſtitui, & quidem humeris Maurorum in ſedes priſtinas reportari. Deditiſſimus ſacræ cum Deo converſationi prodigioſis â Numine gratijs honoratus fuit. Triduo intentus orationi impetravit Raymundo Bonifacio vires ad perrumpendam catenam, quam per Guedalquivir fluvium Mauri tetenderant, removendo ab Hiſpali periculo. In expugnatione Murciæ obtinuit Alphonſo filio tutelares de cælo Angelos, ac divi Jacobi præſidium, qui viſibili aſpectu pugnantem juverunt. Fertur Ferdinandi ſanctitas ſtitiſſe ſolem, ut quondam Joſue, dum Don Perez Correa cum hoſte confligeret. Fertur per Regis meritum ſtetiſſe, quod eo imperante, nec fame, nec peſte, nec incommodo quoquam regio laboraverit, ſecundantibus ad votum ſecuritate rerum, ac tranquillitate Memorandum eſt facinus, quod in obſidione Hiſpalis attentavit, referentibus Hiſtoricis. Videbatur Ferdinando faſtidioſius pro-

dinem demissionis Christianæ virtute at
bat. Ideoque victoriosissimum evasiss
Rodericus Placentinus. Sæpe in Ferd
omnis à sedibus Affrica transiisse in H
credebatur. At confisus in adjutorio
rumpebat aciem, dissipabat hostes. N
nisi victor è prælio discessit, nunquam
nem nisi urbe capta soluit, nullam gent
sus est, quam non disperdidisset, aut in f
jecisset; nullam rem intentione conce
executione non confecisset. Pro adag
bat frequentissimè Davidicas voces:
jutor meus, quem timebo? Divino fr
dio, in quo plurimùm fidebat non i
modò, sed victor continuò evasit: om
triumphos Deo in acceptis reponens,
priæ existimationi approprians. Initio
mittebat intentionem à vanitate mun
tam, solâ animatam cupiditate proferen
divinæ. Obtento autem triumpho, u
ctoriâ, non amplificando modò terrestr
maximè cæli Imperio. Nullum bellum
causa justa non intervenisset. Memin
tissimæ vocis ab Augusto Cæsare dictat
esse jactantiam, vitiosamque animi le
ferri â desiderio trophæorum, & laure
hil profert, præterquam folia sine fru
conjicere in discrimen atque incertos
curitatem, ac vitam subditorum. Usi

lud Sc[illegible] i stupent audaciam,
mille [illegible] ictus acer, cadenti-
te tot [illegible] nceps prælium. Re.
tot Reg[illegible] venerant Hispani,
fore [illegible] m Ferdinandi, qui
amplicar[illegible] etus majorem in eo-
adauge[illegible], quod incolumem
re, ideoque [illegible] issent.
te Deo [illegible] impensis prima jecit
oculis: Tr[illegible] que ad fidem Chri-
man[illegible] Valentiæ Abuzito.
mea [illegible] Ferdinandum postu-
arden[illegible] acceptum Maurum
regni. Re[illegible] sub umbella regia se-
nire felic[illegible] iâ coluit, postulatis
illam à per[illegible] ad ulteriora impe-
vivunt. [illegible] a protectione pro-
Haud d[illegible] ue, ut Maurus man-
dinandi re[illegible] devinctissimus po-
debat Ze[illegible] porrò etiam dextrè
humeris [illegible] mplo, cùm severita-
suis ipse [illegible] sorum Toleti non-
ret. Refer[illegible] utilari fecit, alios
nandum [illegible] s; ratus aliquando
vatoris, qua[illegible] quillitati impende-
ram hac in ora[illegible] men in administra-
exorabat, non [illegible] æquo premerentur
muneratus. D[illegible] cile à cippo evol-
Deiparæ Imagine[illegible] a patebat apud Fer-
[illegible] 2 dinan-

longari urbis deditio. Attribuebat suis peccatis anxius tardantem de cœlo benedictionem. Quare insistebat orationibus, Deum, Deiparamque suam calentissimâ prece demerendo. Quâdam nocte, quam in oratione prostratus coram sacratissima Divæ Virginis icone, totam exegerat, audijt ab illa sibi loquentem Divam, uti confideret in auxilio cælesti: propediem Hispali potiturum, & glorioso fine terminaturum susceptos labores. Erectus itaque promissis in pedes, solus, sine comite, nec observatus â suis, abit â tentorio, urbemque hostium intrat, per eam, quæ nunc occlusa visitur, portam; inter binas alias, xerem, ac turrim auream dictas, tum sitam, ac patentem. In urbis aditu non advertenti ensis â latere decidit. tum ad delubrum Maurorum majus penetrat, & adorata, quæ ibi supererat â pristinæ Religionis temporibus imagine pervetusta, eâdem, quâ venerat viâ, ad tentorium suum revertit, rursus ense, quem dimiserat in porta, mirabiliter succinctus. Interea Petrus Gusmannus, Petrus â Ponte, & Ferdinandus Diannès hujus frater, non repertum per tentoria Regem, toto exercitu disquirunt. Tandem ad stationem Roderici Gonzalez Gissonij & Jacobi Lopez de Haro delati sunt ex adverso portæ Macarenæ metantium. Suspicantur id quod erat, Ferdinandum in Urbem penetrasse. Assumptis ergo sex alijs secum generosioribus cum parvo milite, & ipsi urbem intrant, procurruntque ad delubrum

brum majus. Mauri circumfusi stupent audaciam, opponuntque arma, fit conflictus acer, cadentibus utrinque multis, hæretq; anceps prælium. Recipiunt se tandem itinere, quo venerant Hispani, revertuntque ad tabernaculum Ferdinandi, qui super eorum magnanimitate lætus majorem in eorum animis plausum excitavit, quod incolumem Deo dante se quoque recepissent.

Clementiâ ac benignitate impensis prima jecit fundamenta conciliando, atque ad fidem Christianam convertendo Regi Valentiæ Abuzito. Hic Cuencam excurrerat ad Ferdinandum postulaturus inducias. Honorificè acceptum Maurum complexus Rex amantissimè sub umbella regia sedere fecit, regali magnificentiâ coluit, postulatis liberaliter annuit, promptam ad ulteriora impetranda voluntatem obtulit, sua protectione profusè impensa donavit: Effecitque, ut Maurus mansuetudine Ferdinandi captus devinctissimus postea manserit. Clementiam porrò etiam dextrè subtrahebat operi, Davidis exemplo, cùm severitate agendum superesset. Seditiosorum Toleti nonnullos manibus ac pedibus mutilari fecit, alios conjici in cados aquæ bullientis; ratus aliquando opportunum esse publicæ tranquillitati impendere rigorem sententiæ. Attamen in administratione justitiæ cavebat, ne plus æquo premerentur pauperes, dum potentiores facile à cippo evolvuntur. Proinde egentibus ita patebat apud Ferdinan-

longari urbis deditio. Attribuebat suis peccatis anxius tardantem de cœlo benedictionem. Quare insistebat orationibus, Deum, Deiparamque suam calentissimâ prece demerendo. Quâdam nocte, quam in oratione prostratus coram sacratissima Divæ Virginis icone, totam exegerat, audijt ab illa sibi loquentem Divam, uti confideret in auxilio cælesti: propediem Hispali potiturum, & glorioso fine terminaturum susceptos labores. Erectus itaque promissis in pedes, solus, sine comite, nec observatus â suis, abit â tentorio, urbemque hostium intrat, per eam, quæ nunc occlusa visitur, portam; inter binas alias, xerem, ac turrim auream dictas, tum sitam, ac patentem. In urbis aditu non advertenti ensis â latere decidit. tum ad delubrum Maurorum majus penetrat, & adorata, quæ ibi supererat â pristinæ Religionis temporibus imagine pervetusta, eâdem, quâ venerat viâ, ad tentorium suum revertit, rursus ense, quem dimiserat in porta, mirabiliter succinctus. Interea Petrus Gusmannus, Petrus â Ponte, & Ferdinandus Diannès hujus frater, non repertum per tentoria Regem, toto exercitu disquirunt. Tandem ad stationem Roderici Gonzalez Gissonij & Jacobi Lopez de Haro delati sunt ex adverso portæ Macarenæ metantium. Suspicantur id quod erat, Ferdinandum in Urbem penetrasse. Assumptis ergo sex alijs secum generosioribus cum parvo milite, & ipsi urbem intrant, procurruntque ad delubrum

brum majus. Mauri circumfusi stupent audaciam, opponuntque arma, fit conflictus acer, cadentibus utrinque multis, hæretq; anceps prælium. Recipiunt se tandem itinere, quo venerant Hispani, revertuntque ad tabernaculum Ferdinandi, qui super eorum magnanimitate lætus majorem in eorum animis plausum excitavit, quod incolumem Deo dante se quoque recepissent.

Clementiâ ac benignitate impensis prima jecit fundamenta conciliando, atque ad fidem Christianam convertendo Regi Valentiæ Abuzito. Hic Cuencam excurrerat ad Ferdinandum postulaturus inducias. Honorificè acceptum Maurum complexus Rex amantissimè sub umbella regia sedere fecit, regali magnificentiâ coluit, postulatis liberaliter annuit, promptam ad ulteriora impetranda voluntatem obtulit, sua protectione profusè impensa donavit: Effecitque, ut Maurus mansuetudine Ferdinandi captus devinctissimus postea manserit. Clementiam porrò etiam dextrè subtrahebat operi, Davidis exemplo, cùm severitate agendum supererat. Seditiosorum Toleti nonnullos manibus ac pedibus mutilari fecit, alios conijci in cados aquæ bullientis; ratus aliquando opportunum esse publicæ tranquillitati impendere rigorem sententiæ. Attamen in administratione justitiæ cavebat, ne plus æquo premerentur pauperes, dum potentiores facile à cippo evolvuntur. Proinde egentibus ita patebat apud Ferdinan-

longari urbis deditio. Attribuebat suis peccatis anxius tardantem de cœlo benedictionem. Quare insistebat orationibus, Deum, Deiparamque suam calentissimâ prece demerendo. Quâdam nocte, quam in oratione prostratus coram sacratissima Divæ Virginis icone, totam exegerat, audijt ab illa sibi loquentem Divam, uti confideret in auxilio cælesti: propediem Hispali potiturum, & glorioso fine terminaturum susceptos labores. Erectus itaque promissis in pedes, solus, sine comite, nec observatus â suis, abit â tentorio, urbemque hostium intrat, per eam, quæ nunc occlusa visitur, portam; inter binas alias, xerem, ac turrim auream dictas, tum sitam, ac patentem. In urbis aditu non advertenti ensis â latere decidit. tum ad delubrum Maurorum majus penetrat, & adorata, quæ ibi supererat â pristinæ Religionis temporibus imagine pervetusta, eâdem, quâ venerat viâ, ad tentorium suum revertit, rursus ense, quem dimiserat in porta, mirabiliter succinctus. Interea Petrus Gusmannus, Petrus â Ponte, & Ferdinandus Diannès hujus frater, non repertum per tentoria Regem, toto exercitu disquirunt. Tandem ad stationem Roderici Gonzalez Gissonij & Jacobi Lopez de Haro delati sunt ex adverso portæ Macarenæ metantium. Suspicantur id quod erat, Ferdinandum in Urbem penetrasse. Assumptis ergo sex alijs secum generosioribus cum parvo milite, & ipsi urbem intrant, procurruntque ad delubrum

brum majus. Mauri circumfusi stupent audaciam, opponuntque arma, fit conflictus acer, cadentibus utrinque multis, hæretq; anceps prælium. Recipiunt se tandem itinere, quo venerant Hispani, revertuntque ad tabernaculum Ferdinandi, qui super eorum magnanimitate lætus majorem in eorum animis plausum excitavit, quod incolumem Deo dante se quoque recepissent.

Clementiâ ac benignitate impensis prima jecit fundamenta conciliando, atque ad fidem Christianam convertendo Regi Valentiæ Abuzito. Hic Cuencam excurrerat ad Ferdinandum postulaturus inducias. Honorificè acceptum Maurum complexus Rex amantissimè sub umbella regia sedere fecit, regali magnificentiâ coluit, postulatis liberaliter annuit, promptam ad ulteriora impetranda voluntatem obtulit, sua protectione profusè impensa donavit: Effecitque, ut Maurus mansuetudine Ferdinandi captus devinctissimus postea manserit. Clementiam porrò etiam dextrè subtrahebat operi, Davidis exemplo, cùm severitate agendum supererat. Seditiosorum Toleti nonnullos manibus ac pedibus mutilari fecit, alios conijci in cados aquæ bullientis; ratus aliquandò opportunum esse publicæ tranquillitati impendere rigorem sententiæ. Attamen in administratione justitiæ cavebat, ne plus æquo premerentur pauperes, dum potentiores facile à cippo evolvuntur. Proinde egentibus ita patebat apud Fer-

parentis cum Christo infante inter brachia delato assidentis: alteram eam, quæ Hispalensibus dicitur Deipara â regia manu. Alij à Ferdinandi manu fabre factam, alij Angelica ope conflatam credunt. Certè eam pro merito nuncupare convenit matrē Victoriarum, nempe cui Ferdinandus trophæa singula adscribebat, cujus nomini sumptuosissimam postea Ecclesiam dedicavit, quæ Hispali Maurorum infami delubro successit. Huic imagini asservandæ, ut Reginæ, ædem condidit, regios ministros instituit, regios apparitores nominavit, custodiam, & feciales attribuit, cubiculi præfectam designavit, cujus modo officium, titulosque una nobilissimarū fæminarum gerit. Hanc effigiem deportans Hispalim, recenter â Mauris vendicatam, intravit, ac triumphum egit. Per visum antea sancto Regi Divus Isidorus, quondam Urbis Episcopus apparuerat, monueratque â gentilibus occupatam, uti Divus optabat, Christo restitueret. Quare, ut in horis Canonicis Ecclesiæ Hispalensis legitur, incensus hortatu cælesti Rex animum expugnandæ in Provincia principi Urbi applicuit. Cinxit primùm acri obsidione locum, tùm fortiter oppugnavit, compulitque ad deditionem, demum triumphans ingressus dedicavit armorum Præsidi Deiparæ, cujus iconem, Regij exercitus Palladium, supplicatione indicta in Urbem invexit. Alias ubi prælium imminebat, præmittere erat solitus peregrinationes ad sacra Odea, & locupletes erogabat

Elec-

Eleemoſynas. Multa templa & cœnobia dotavit, ditavitque: Toletanam Eccleſiam â fundamentis erexit, lapidem primum illi ſuperſtruendæ manu ſuâ collocavit: Patronum Religioſorum ordinum, ac piarum cauſarum conſtantem egit. Captâ Cordubâ animadvertens campanum æs ad D. Jacobi ab Almancore ad Maurorum Meſquitam translatum fuiſſe, ibique in æneas lampades converſum: ne ultra dedecori iſtud Hiſpanæ gentis foret, neve Chriſtiano probroſum nomini; mandavit campanas loco reſtitui, & quidem humeris Maurorum in ſedes priſtinas reportari. Deditiſſimus ſacræ cum Deo converſationi prodigioſis â Numine gratijs honoratus fuit. Triduo intentus orationi impetravit Raymundo Bonifacio vires ad perrumpendam catenam, quam per Guedalquivir fluvium Mauri tetenderant, removendo ab Hiſpali periculo. In expugnatione Murciæ obtinuit Alphonſo filio tutelares de cælo Angelos, ac divi Jacobi præſidium, qui viſibili aſpectu pugnantem juverunt. Fertur Ferdinandi ſanctitas ſtitiſſe ſolem, ut quondam Joſue, dum Don Perez Correa cum hoſte confligeret. Fertur per Regis meritum ſtetiſſe, quod eo imperante, nec fame, nec peſte, nec incommodo quoquam regio laboraverit, ſecundantibus ad votum ſecuritate rerum, ac tranquillitate. Memorandum eſt facinus, quod in obſidione Hiſpalis attentavit, referentibus Hiſtoricis. Videbatur Ferdinando faſtidioſius pro-

longari urbis deditio. Attribuebat suis peccatis anxius tardantem de cœlo benedictionem. Quare insistebat orationibus, Deum, Deiparamque suam calentissimâ prece demerendo. Quâdam nocte, quam n oratione prostratus coram sacratissima Divæ Virginis icone, totam exegerat, audijt ab illa sibi loquentem Divam, uti confideret in auxilio cælesti: propediem Hispali potiturum, & glorioso fine terminaturum susceptos labores. Erectus itaque promissis in pedes, solus, sine comite, nec observatus â suis, abit â tentorio, urbemque hostium intrat, per eam, quæ nunc occlusa visitur, portam; inter binas alias, xerem, ac turrim auream dictas, tum sitam, ac patentem. In urbis aditu non advertenti ensis â latere decidit. tum ad delubrum Maurorum majus penetrat, & adorata, quæ ibi supererat â pristinæ Religionis temporibus imagine pervetusta, eâdem, quâ venerat viâ, ad tentorium suum revertit, rursus ense, quem dimiserat in porta, mirabiliter succinctus. Interea Petrus Gusmannus, Petrus â Ponte, & Ferdinandus Diannès hujus frater, non repertum per tentoria Regem, toto exercitu disquirunt. Tandem adstationem Roderici Gonzalez Gissonij & Jacobi Lopez de Haro delati sunt ex adverso portæ Macarenæ metantium. Suspicantur id quod erat, Ferdinandum in Urbem penetrasse. Assumptis ergo sex alijs secum generosioribus cum parvo milite, & ipsi urbem intraat, procurruntque ad delubrum

brum majus. Mauri circumfusi stupent audaciam, opponuntque arma, fit conflictus acer, cadentibus utrinque multis,hæretq; anceps prælium. Recipiunt se tandem itinere, quo venerant Hispani, revertuntque ad tabernaculum Ferdinandi, qui super eorum magnanimitate lætus majorem in eorum animis plausum excitavit, quod incolumem Deo dante se quoque recepissent.

Clementiâ ac benignitate impensis prima jecit fundamenta conciliando, atque ad fidem Christianam convertendo Regi Valentiæ Abuzito. Hic Cuencam excurrerat ad Ferdinandum postulaturus inducias. Honorificè acceptum Maurum complexus Rex amantissimè sub umbella regia sedere fecit, regali magnificentiâ coluit, postulatis liberaliter annuit, promptam ad ulteriora impetranda voluntatem obtulit, sua protectione profusè impensa donavit:!Effecitque,ut Maurus mansuetudine Ferdinandi captus devinctissimus postea manserit. Clementiam porrò etiam dextrè subtrahebat operi,Davidis exemplo, cùm severitate agendum supererat. Seditiosorum Toleti nonnullos manibus ac pedibus mutilari fecit, alios conijci in cados aquæ bullientis; ratus aliquando opportunum esse publicæ tranquillitati impendere rigorem sententiæ. Attamen in administratione justitiæ cavebat, ne plus æquo premerentur pauperes, dum potentiores facile à cippo evolvantur. Proinde egentibus ita patebat apud Fer-

dinandum Tribunal, ut ærarium regium affluentissimè. Hæc quippe regiæ tum celsitudinis, tum muneris laus est, oppressos in libertatem solvere, favere desertis, afflictos consolari.

Quoad vixit, religiosissimè progenitores coluit, ne levissimo passus digustu offendi. Rex Legionis, idemque Pater Ferdinandi nobiles Castellanos quosdam contra fas, & æquum tenebat in vinculis. Huc eos regia indignatio, atque æmulorum invidia conjecerat. Potissimum ferebat ægrè Rex, quod vivo se Regnum Castiliæ materno jure Filio debitum ad Ferdinandum pervenerit. Potentior exinde Patre Ferdinandus nunquam in animum induxit, ut ostensis armis tumultuantem placaret. Vi solâ precum, ac literarum egit, ut rebus suis pacificè sibi uti liceret. Ita scribebat aliquando: Domine Parens, Rex Legionis, Domine mi Alphonse. Quæ indignatio hæc, per quam mihi creare damna, & inferre bellum moliris? demeruisse me paternâ gratiam nescio. Videtur mea tibi fortuna non placere: quamvis deberet esse longè gratissima, quod filium habeas, Castiliæ Regem, honorum tuorum studiosissimum. Nemo insultare tibi, seu Maurorum, seu Christianorum Principum, dum faveo, inultus poterit. Unde adversatio tanta? nullum à Castilia damnum, nullum bellum dum vivo: unde tibi antea hostis, inde nunc defensor & amicus. Si tuus non essem, possem atrociter ex te universis Principibus risum facere.

Sed

Sed istud nolo; nec me decet in Patrem, ac Dominum meum esse crudelem. Satius est patienter ferre injuriam, atque excusare, quod proveniat ab inadvertente.

Perlectâ Epistolâ Alphonsus verbo respondit: prætenditque belli causam procedere ex debita, nec persoluta à Rege Castiliæ certa pecunia. Non distulit illicò Ferdinandus coloratam quantumvis prætensionem amovere, ac potius elegit, quod postulabat æris inclementior Pater, erogare, quàm diutius irritatum pati.

Observantissimus fidei Regiæ promissam aliquando Menrisam civitatem Regi Granatensi sine mora, ut petenti cederet filius natu majòr mandavit. Eidem injunxit, ut omnia, quæ in subditos jura prætendebat dimitteret, ac milites stipendia promissa rogantes illicò audiret Plurimùm afficiebantur Mauri Ferdinando ob constantem in pollicitis fidem. Castimoniæ amans cilicio carnem domabat, triduò per hebdomadem flagris ad profusionem sanguinis in pavimentum devoluti, in se sæviebat, conduplicabat actus pænitentiæ; cùm aut expeditioni se accingeret, aut pugnam iniret: Imò per id tempus circumdabat nudo lateri, & brachiis cilicium punctis aculeatis ferri obarmatum. Sensit acerbè, quando audivit petulantem fæminam solicitasse castitatem Religiosi cujusdam ex familia Divi Dominici, atque hunc;

quò se à laqueis importunis expediret, necessitate adactum in focum conclavis insiliisse. Itaque vindicaturus sibi charam puritatem jussit impudentem, in pœnam impuri caloris, igne succenso absumi.

Demum justitiæ, & sanctimoniæ per omnem vitam amantissimus fuit Ferdinandus. Interrogatus sub ultimo quo obiit, morbo, num constitueret de ratione sepulchri, num in sui monimentum statuam sibi collocari mandaret? Vita, inquit, quam egi: quantum valui irreprehensibilem, atque inculpatam; actionesque meæ mihi in mausolæum sint & colossum. Planè, ut quondam Cato major, qui amicis illustres in foro Romano civium statuas & monumenta narrantibus, ac simul indignantibus, nullam hactenus earum Catonis memoriæ fuisse consecratam: respondit: factum optimè: malle se, ut mirentur homines, quod honore caruerit, quam ut mirentur simili honore se affectum fuisse.

Ideam consummatæ virtutis in vita, singulariter autem in morte exhibuit Ferdinandus. Concordi voce scriptores sanctissimam, devotissimam, gloriosam pronunciârunt. Collegit ibi in puncto virtutum sphæram amplissimam, ac meritorum. Mandavit, ut circumstantes universi hymnum Ambrosianum decantarent, tum subjungerent responsorium, ab Episcopis dici solitum, quando cum supplicationibus publicis ineunt templa noviter

viter Deo, & Deiparæ consecrata. Hilaritas hæc cantionis fuit tessera serenitatis internæ, quæ est propria animarum sanctarum, & mentis ad reddendas rationes quàm optimè comparatæ, ut notat magnus Gregorius.

Admirabilis præterea fuit Regis Ferdinandi sub ultimum vitæ tempus ad mortem comparatio. Præmisit contritionem, ac pœnitudinem accuratissimam, sine qua, ut docet S. Augustinus, nemo quantumlibet sanctus tutò abit ex vita. Præmisit calentissimos fidei actus, adoratores m sterio-rum DEI, & veneratores sancti sanctorum. Præmisit humillimos reverentiæ affectus versùs omnem Christianæ doctrinæ observantiam. Præmisit spem, fiduciamque devotissimam, sitam in cruce, passione, & morte Christi Domini. Præmisit abjectissimos sui contemptus, regiæque Celsitudinis pronissimam in consideratione cælestium abjectionem. Præmisit consignatam in manus altissimi universæ, quam de manu Dei acceperat monarchiæ administrationem. Præmisit singularum in domesticos, ac populum obligationum cumulatam executionem. Fidem dictis addat pervetusta historia, in supplementum Roderici Archiepiscopi Palentini conscripta. Imminente, inquit, transitu à sæculo fallaci ad immortalis vitæ claritatem, accersiri voluit Ferdinandus Philippum filium, tùm Archiepiscopum Hispalensem cum clero universo: petiitque in

conſpectum adferri ſanctiſſimum Chriſti corpus ab altari, una cum cruce, ſeu vexillo Redemptionis, & ſalutis humanæ. Ubi propius adventare ſacerdotem vidit, humillimè reveritus ſacra myſteria, atque è lecto provolutus in terram, reclinatusque in genua, funem, quem poſtularerat, collo impoſuit; tùm accerſitâ cruce, & ante oculos poſitâ humillimo geſtu inclinatus, prehenſam manibus devotiſſimè adoravit, enumerans pœnas ac tormenta, quæ in eadem pro mundi ſalute Redemptor exantlavit. Mox exoſculatus ſacra vulnera intimo cum ſenſu contundens manu pectus inter profuſiſſimos gemitus veniam peccatorum deprecabatur. Demùm ſacro viatico communiri rogans, manibus ante pectus ſanctiſſimè conjunctis, oculiſque inter lachrymas nanantibus particeps ſacratiſſimi Myſterii factus fuit. Suſcepta communione ſolvi ab humeris mandavit regalem amictum, verſuſque ad circumſtantes luculentum ſermonem habuit; ac potiſſimùm Alphonſo filio regii muneris obligationes ſolicitè obſervandas commendavit: Eaſq; primùm quæ Rempublicam, deinde, quæ privatam Regis perſonam concernerent explicuit. Curam item, pietatemque impendere juſſit Joannæ Reginæ, ac Regiis Fratribus. Concluſit dictionem verbis ſequentibus. Principem terræ te conſtituo, dominaturum uſque ad mare iis omnibus Provinciis, quas â temporibus Roderici Regis Hiſpa-

Hispaniæ Mauri involarunt. Tuo Imperio consigno vastissimas regiones, partim occupatas armis, partim coactas à me in tributum. Si noveris conservare, quæ trado, in eo statu, quo accipis, eris Rex æquè bonus, ac fui ego: si plura adjunxeris, eris melior, ac fui ego: si in hisce defeceris, non eris æquè bonus, ac fui ego. Plura in supplemento historiæ Palentinæ narrantur, quæ sanctissimè dixisse, ac christianissimè fecisse eo articulo Ferdinandum constat. Ferebatur potissimum ad accendendos in divinum amorem animos, instruendas prætereà sanctissimis documentis, consolandasque mentes circumstantium. Spectaculum sanè ut loquitur Mariana, frangendis cordibus, & resolvendis in flumina oculis natum. Verùm plorantibus hominibus exultabant Angeli in obitu tam sancti Regis: nec modo Angeli, sed & luculenta miracula, quæ subinde ad invocationem piissimi Regis, dignata fuit Divina bonitas operari, fidem fecerunt eminentis gloriæ, quâ Ferdinandus in cœlo potitur.

§. II.

Magnanimitas Regis Pelagij.

PRæcessêre Ferdinandum III. Castiliæ Regem, & consecuti sunt multi in Hispania Principes, qui virtutibus locupletissimis Regnum illustrârunt. Minimè prætereunda occurrit magnanimi-

tas Pelagij. Primus hic Hispanorum animos erexit, ut circumspicerent posse Arabes vinci. Heroëm certè amplissimi pectoris, qui extincto Imperio Gotthico, Hispanis consilio, ac spe destitutis unus signum extulit, rebusque desperatis genti cor reddidit! Ad ideam vivacissimi, quo animabatur, Ingenij è cervis leones effecit. Hispanis quaquaversum in cavernas & antra metu dilapsis, cecinit classicum, & frontem Saracenæ perfidiæ opposuit. Respirarunt illicò Christiani ad tubæ sonitum, Regemque Pelagium creavêre. Hic acceptando dignitatem maiori animo se gessit, quam promerendo eandem. Eo tempore sceptrum capessivit, quo si alter regnare voluisset, seque & Rempublicam perdidisset. At ipse capessendo coronam sibi gloriam, suis libertatem peperit. Imo quæ Pelagij exaggeratior est palma, titulum Regis sine regno suscepit; titulo tamen regio regnum addidit, Mauris latè debellatis. Debuit istud, & debere se Deo professus fuit in acceptis, quem pietate, precibusque assiduis sibi demeruerat. Ubi auspicatus fuit regnum non præsidia, non arces habuit, quibus se à Mauris tutaretur: crypta illi, ac spelunca mille hominum, quos ductabat, capax Pergama fuerunt. Ex illa mundum Hispaniensis Arabiæ adortus est. Hominis fortunam reveriti hostes pacem, & pacta obtulerant, modo abstineret, ab insignijs, ac titulo Regis. At noluit dimittere honorem Pelagius, genero-

generosior etiam in conservando principatu, quam fuerit antea in admittendo. Temeritatem putasses, nisi fiduciæ in Deum opus fuisset. Adfuit bonæ causæ Numen, ac primùm dum à specu sua hostes repelleret, postea dum ex specu sua impelleret, fecit vincere Pelagium. Visus fuit continuò vidisse hostes, & vicisse. Fuit Rex iste Machabæus Gothicus, Camillus Hispanicus, & Astur Amilcar.

§. III.

Religiositas, & Fortitudo Regis Alphonsi.

ALphonsus I. cognomento Catholicus Religionis in Deum documenta, & sanctitatis cælo, & terra celebratissimæ edidit. Auspicatus est regnum à solicita cura propagandæ fidei. Quare totus incubuit, ut doctrinæ Christianæ tradendæ per civitates, & terras, quas à Mauris recipiebat, studium ubique ferveret. Causam sibi, ac Regi communem prosecutus DEus arma regia insignibus passim triumphis locupletavit. Regnum Alphonsus Legionense fundavit. Imperium regionibus quàm plurimis auxit. Ubi Christianam Religionem inserere non poterat, illicò omnia ferro, & flamma excidit: ne superesset superstitioni antrum, quò se reciperet. Odio flagrabat impensissimo in odiosos DEO, tàm Mauros, quàm

quàm Hæreticos. Advigilavit operosissimè, ut Arrianorum sectæ tota Hispania extirparentur. Munificus in redimendis, restituendisque in statum pristinum captivis apud infideles, occasionem, viamque sternebat passim, quâ eripere se vinculis corporis, animæque tutò possent. Ecclesias DEO complures à fundamentis erexit, plurimas ditavit, ornavitque. Conquisitis undique sacrorum voluminum exemplaribus, ac per regnum dispersis, universam Hispaniam in lege DEI edoctam esse voluit. Nullum opus pietatis, cui expediendo par esset, omisit, quin viribus omnibus procuraret. Consecutus exinde Catholici principis cumulatam laudem, & præmiorum in cœlo utiq; opimam ubertatem. Morienti accinuerunt Angeli: Ecce quomodo moritur justus, & nemo considerat: ablatus est â facie iniquitatis, & erit in pace memoria ejus. Morte adeo felici remunerari debuit vita in continuum adducta pro superis discrimen. In præliis animosissimus non recedebat à fronte: imò nonnunquam penetrabat in castra, atque exercitum Maurorum, ut vires hostium exploraret: quin etiam sæpius agnitus à Mauris Deo protegente incolumis servatus fuit. Fiducia super adjutorio Divino nihil non audere faciebat Alphonsum. Suffragabatur expeditionibus regiis sancta intentio regnum Christi per Hispaniæ regna proferendi.

§. IV.

§. IV.

Castitas Regis Alphonsi II.

NOluit ab ulla virtute desiderari studium, cui minus sese impenderet Alphonsus II. Ut in eminentia regia non scivit superbè sapere, ita conjunctus matrimonio proposuit castè vivere. Virgo conjux fuit, nec sustinuit ab aliis temerari pretium hujus virtutis. Causâ immodestiæ perpetuis carceribus addixit Comitem Sandiatem, & sororem germanam detrusit in monasterium. Victor sui ipsius, victor hostium fortissimus evasit. Uno prælio Maurorum septuaginta millia delevit. Invicta arma circumferebat Carolus Magnus, priusquam se opponeret Alphonso casto. Major Carolo fuit Alphonsus ex agnomine casti, & major ex prælio, quo universum robur Franciæ cum Carolo profligavit.

Constantino Magno supparem vocat Episcopus Palentinus â pietatis, & Religionis studio. Semper Angelis cognatam Virginitatem, etiam in Alphonso ipsi coluerunt. Cogitabat Rex adornatam lapidibus pretiosissimis crucem, impensis eò potius, quàm ad illustrandam coronam thesauris apparare. Dum quærit artificem, adsunt duo Angeli, qui opus divino honori destinatum prodigioso plane artificio confecerunt. Accepit elaboratum opus Alphonsus, quod radiis fulgentissimè

tissimè evibratis dabat indicium, quâ manu coaluisset cælitùs, simul patuit operis anticipatis, quàm officioso labore ijdem in cœlis Angeli interea pro Alphonso compararent coronam, quâ augustiùs terrestri post mortem coronaretur.

§. V.

Invicta pietas Regis Ramiri.

Pietate incomparabili claruit Ramirus. Philadelphum imitatus noluit regnare, nisi Collegam haberet Garziam Fratrem. Parem in throno assidere, pari homagium dici voluit, quamvis minor foret ætate. In subditos ea charitate ferebatur, ut vitam, & Principatum coniiceret in discrimen ad avertendum infame tributum, quo obstringebatur annuatim centum virgines Mauris pendere. Rogantibus, ut tempori daret hanc necessitatem, respondit: Pretio totius mundi non inducendum se, ut crudelitati tam immanis postulati annuat. Circumdatus ab innumera multitudine Maurorum, cum vires humanæ essent impares, divinis per orationem impetratis hostem confecit. Noctem, quam pridie exegerat in precibus, consecuta fuit dies, aucta fulgoribus D. Jacobi, qui prælio adstans, uti promisserat se facturum Ramiro precanti, tuitus est pietatem priùs indefensam, cui impune barbari insultabant. Vidit gloriosum Apostolum uterq; exercitus

pugnan-

pugnantem in Mauros, & gloriosum de hostibus triumphum comparantem Ramiro.

§. VI.

Liberalitas Regis Alphonsi Magni.

VEl inde nomen magni obtinuit Alphonsus, quod admiranda cum munificentia thesauros à patre acceptos, eosque locupletissimos in Eleemosynas erogaverit: Tantum abiit ab avaritia, quantum accessit ad prodigiosam misericordiam subveniendo tam operosè egentibus. Ad hæc non modo gratis accepta per hæreditatem, gratis dedit, sed & parta curis, ac solicitudinibus propriis in miseros profudit. Hinc misericordibus promissa de cælo misericordia, necessitatibus armorum in Mauros undique impugnantes vicissim copiosis cum laureis subvenit. Aliquando de numerosissimo hostium exercitu non nisi decem superfuere â cadaveribus superincumbentibus insepulti magis, quàm superstites, qui Alphonsi fulmineum ensem in prælio effugerant. Victor tùm campo excedebat, adversa acie aut cæsa funditus, aut sepulta. Decies septies aperto marte cum Mauris conflixit, & triumphavit. Conimbricam, ac Viseum expugnavit; Guasconiam, & Navarram sui juris fecit. Addidit trophæis omnibus victoriam sui, quando dimisso regno filium Garziam paludamento regio pro se investi-

vestiri fecit. Religionem sic coluit,ut tantùm nec privatorum quispiam. Factus postea filij ex voluntate sua strategus, militiam poposcit, ac impetravit: in ea ducto contra barbaros exercitu reliquam ætatem exegit, prodigiosis victorijs clarus. Metropolitanam Ecclesiam S. Jacobi Ovetanam impetratis diplomatibus Pontificijs dotavit,ac ditavit. Maurorum manibus corpora Sanctorum Martyrum Eulogij, & Leocritiæ eripuit, transtulitq; à Corduba Asturum. Missis ad Joannem VIII. Oratoribus impetravit Ecclesiæ Ovetanæ metropolitam, & concilium ibi Nationale ad annum 905. sub initia Joannis IX. celebratum: A quo etiam Pontifice Christianissimi cognomentum accepit.

§. VII.

Religio, & Fortitudo Sancij Majoris, Regis Navarræ.

FUit Sancius Religiosissimus juxta, ac Potentissimus Princeps. Magnum alij vocant. Existimabat se nihil operari, ubi in negotio cultûs divini nihil non magnum ageret. Beneficiorum cæli memor decimas spoliorum bellicorũ Deo promisit,quas ipsas Principibus Christianis paril aude, ut ipse, adversus fidei hostes pugnantibus distribuit, Regnum Castiliæ, cum Extremadura commisit,

per

per easque ad Cordubam Mauros profligavit, omnibus Andalusiæ Toparchis ad pendendum tributum adactis. Inde illi nomen magni, & Imperatoris Hispaniæ comparatum; quo nomine per has gentes â Romanorum temporibus nemo hactenus usus fuerat. Duobus Ecclesiasticis concilijs auspicium dedit. Palentiam pristino flori restituit. Cathedralem in ea fundavit. Pampelonensibus Episcopum reddidit: Templa, ac monasterio Ordini Benedictinorum condidit, Cluniacensium regula monachis persuasa. Muneratus pietatem regiam Deus Sancio Regem, & Imperatorem filium Ferdinandum dedit. Magnus hic quoque â patris gloriosa imitatione ac memoria fuit. Profectus ad Ovetanam Ecclesiam, votis Salvatori persolvendis, & cumulandis actibus continuatæ per omnem ætatem Religionis, obijt in Domino.

§. VIII.

Humilitas, ac Pietas Regis Ferdinandi Magni.

CElebris est fama Ferdinandi, nomen Regis, atque Imperatoris adepti. Non habebat Principem, cui gloriâ esset secundus; non habebat, â quo vinceretur animi demissione. Interdum sine pompa aulici comitatûs ibat ad cœnobium S. Facundi. Contentus ibi cibo, potu, lecto, obsequio, qui communis erat religioni. Intere-

tererat Divinis in choro officijs ad modum aſceterio mox ante initiati. Sacrarum ceremoniarum cultor eximius admiſcebat ſe Clero, & quas munificentia manûs regiæ decoraverat Eccleſias, etiam voce ad laudes Altiſſimi articulata condecorabat. Sacerdotes, & Epiſcopos eâ veneratione proſequebatur, ut cultis hoſpitio, etiam ad menſam ſtans deſerviret. Templa, è quibus Legionenſe in magnitudinem, atque elegantiam, quâ claret, erexit. A civitate Abulenſi lipſana S. Vincentij Martyris, & ab Hiſpali corpus S. Iſidori quondam Archiepiſcopi Legionem tranſtulit. Erat Sebariæ, cum ſacræ reliquiæ deportarentur. His obviam factus una cum tribus filijs, delatum S. Iſidori corpus, humeriſque acceptum Urbi Legionenſi intulit. Affirmat Cardinalis Baronius inde cognomentum magni Ferdinando jure adhæſiſſe, regijſque prolibus regna comparata. Peregrinatione Hiſpaniarum Patronum, Chriſti Apoſtolum coluit; tribus ad ejus aram diebus, ac noctibus in preces effuſus, opemque ſubſidiariam poſtulans in expeditionem adverſus Conimbricenſes Mauros meditatam. Factum poſtea, ut die deditionem præcedente Apoſtolus Oſtiano Epiſcopo Græco diffidentiori ſuper obtinenda ope cæleſti, apparuerit in viſibili forma, atque equum candidum conſcendens, prætendenſque claves manu dixerit, abire ſe, ut Ferdinando Regi aſſiſtat, poſtero die clavibus hiſce urbem recluſuro.

Patuit

Patuit in eventum optatissimum promissâ proximè dies, & Conimbrica. Eâdem felicitate exacti â Toleto, Portugallia, ac Valentia barbari: recepta Extremadura, Andalusia, aliæque Provinciæ; omnisque Barbarorum natio per Hispaniam vectigalis facta.

Adscribit Ferdinando nomen magni Stephanus de Gariba; ex rebus in bello fortiter, & præclarè gestis pro fide Catholica in Mauros. Ut tamen erat Barbaris formidabilis; ita in Christianos mansuetissimus. Provocatus â Garzia fratre, Rege Navarræ, quamvis ex injustitia belli offensus, vetuit, ne quantumvis jam inclinatâ in suas partes victoriâ, quisquam militum feriret Christianum hostem: vim omnem jugulo Maurorum inferret. Ita Charitas vel inter adversarios discernebat, quem læderet; atque intra inimicorum viscera stabat ara pietati. Duo concilia pro Ecclesiæ bono procuravit. Rodericum de Vivar formidandum barbaris Ducem, eruditione militari clarum in Religionis, ac fortitudinis apicē evexit, ut eum postea Apostolorum Principes Petrus & Paulus apparitione sua dignati, Divi autem Georgius, & Lazarus in Saracenos pugnanti visibiles concomitati fuerint, & complurium triumphorum fecerint participem. Hic septuaginta novem prælijs victor, dum viveret, atque etiam post mortem invictissimi herois famam reportavit. Pietatem Ferdinandi remuneratus est Deus collata amplitudine Imperij. Pri-

mus ipse Rex Castiliæ, & Legionis: Primus Hispaniæ Imperator cognominatus fuit. Eo regnante Apostolica authoritate declaratum fuit, Hispaniam ab Imperio Romano-Germanico non pendere. Ad Conimbricam vincenti D. Jacobus adfuit: morienti S. Isidorus adstitit, die obitûs prænunciatâ. Migravit ad æternitatem feliciore transitu, quàm existimari potuit fuisse vitæ cursum, quamvis, & ipse fuerit gloriosissimus. Deferri se jussit ad Cathedralem Legionensem nocte Nativitatis Domini. Ibi matutinis officijs præsens, & sacrificio Divino, Eucharistiam percepit. Postero die evocatis rursum Episcopis, atque Ordinibus religiosis, in eorum comitatu denuò se ad Ecclesiam deferri voluit. Ubi posita corona, & regio apparatu ad S. Isidori sepulchrum sic precatus est. Tua mi Deus, est potentia, tuum regnum, tu dominaris super omnes gentes. Quod â manu tua Regnum accepi, restituo, ac supplex oro, ut per gratiam tuam anima mea lucis æternæ fiat particeps. Tum humillima delictorum confessione peracta, acceptaque ab assistente Episcopo Dei nomine remissione peccatorum, indutus cilicio, ac cinere coopertus in amaritudine pœnitentiæ, & lachrymis per biduum perseveravit, demum in festo sancti Joannis Evangelistæ solutam à corpore felicem animam Regi Regum consignavit.

§. XI.

§. IX.

Generositas, pietas, & obedientia filialis in Patrem Regis Alphonsi Sexti.

ALphonsus à perforata manu dictus, magno non minor fuit. Fortunatum per Hispanias Alphonsinum nomen quod regias appellationes, etiam illustria agnomina, & elogia plerumque obtinuit, à populo peculiari semper ex veneratione, & amore cultum. Hic Catholicus, alter castus, alius sapiens, alius magnus, alius nobilis, alius bonus, alius felix, alius Imperator dictus fuit. A perforata manu iste cognominatus est, quod infundi sibi à Mauris, in quorum tum erat potestate, liquatum plumbum sit in manum passus, metallo in adversam partem decurrente, ne evigilasse à somno crederetur, & percepisse narrantes Mauros, quâ ratione Toletum intercipi posset à Christianis. Ea tamen constantia adjutrice, & audiit consilium, & postea expugnata urbe executus fuit. Princeps erat undequaque magnus: virtutum amans: cupidus gloriæ. Rodericus Archiepiscopus refert, fuisse Principem justitiæ severum vindicem, servitutis barbaræ depulsorem, consolatorem populi, propagatorem fidei, amplificatorem regni: animam subditorum. Profligavit hostes, dissipavit Arabes, terruit Africam. Eius robur erat præsidium patriæ, timoris expers, nescium

nescium perturbationis, præsidium pauperum, procerum firmitas. Impatiens claudi finibus Asturiæ sociatis in arma commilitonibus fidissimis, protulit imperium per viciniam omnem. Osor deliciarum pro infortunio habebat, si ab ijs tangeretur. Voluptatis autem loco ferebat præliorum discrimini adesse; tantum sibi vitæ eripi existimans, quantum quietis ab armis concederetur.

Animi magnitudinem frequentissimâ exercitatione generosæ mentis comprobavit. Maximè verò dum pius in parentem, reverens in fratres, documentum exaggeratæ virtutis dedit. Diviserat Ferdinandus Rex in filios tres, Sancium, Alphonsum, & Garziam tres statuum portiones hæreditatis loco adeundas. Præteritæ in divisione filiæ Uracca, & Elvira flentes, orantesque, ne omnino exhæredes fierent, instabant. Motus precibus Ferdinandus, filijs eas commendavit, qui sororibus de dote, ac fortunis providerent. Dissimulabant surdi ad illarum lamenta, & postulata Patris. Solus Alphonsus, qui minore, quàm Sancius opulentia ditatus recesserat, Patrem adit, & partem statuum sibi destinatorum in favorem sororum offert. Placuit pietas Ferdinando. Quare benedictionem paternam impertiens Alphonso, eius voluntati committit, ut quod placuerit, dotandis sororibus de suo conferat. At Alphonsus, omnia quæ obtinui, tua sunt pater: ac simul præstantiores de sua por-

portione urbes, Zamoram, ac Taurum cum districtu ambarum, atq; Infantadi regionem omnem distribuendam in sorores exhibet. Lætus generositate filij Ferdinandus, iterata benedictione: Deum, inquit, oro, ut regna, quæ in fratres divisi in tuum aliquando diadema redeant, hisq; majora superaddantur. Cessere postea ex voto paterno omnia. Alphonsus quippe divisorum a patre regnorum monarchiam postliminio obtinuit, addiditque ad Castiliam, Legionem, Gallitiam, & Portugalliam Ferdinandi hæreditatem, Regnum Toletanum, plurimasque à Mauris obtentas ditiones. Adeo nullam jacturam facit, qui parentum obsequio quidquam cedit. Humiliter subesse edoctus, gloriosè imperare didicit. Mortuum etiam rupes planxere. Nam sub obitum Alphonsi per Hispaniam à silicibus, ac petris profusæ guttæ, atque à marmore altaris Divo Isidoro sacri, copiosus humor triduò stillare visus.

§. X.

Invicta Constantia Regis Garziæ II.

EXercuêre Garziam II. calamitates austeræ: non tamen sine ampliore profectu, quem invicta Principis constantia comparavit. Exutus regno, ac libertate in terris, in cælo sibi coronas multiplicavit. Alphonsus VI. frater Garziam pluribus annis carcere detinuit. Tum primùm

fratrem jussit liberum fieri, cùm audivit gravius ægrotare. Deprecatus est beneficium Garzias, imò oravit, ut post mortem sepeliretur non solutis à corpore compedibus. Elegerat in satisfactionem suorum delictorum, perseverare mortuus in pœna, quàm vivens ultro delinquendo sibi induxerat.

§. XI.

Magnanimitas, Pietas, & Justitia Sancii III.

REx Castiliæ Sancius hujusce nominis tertius, non modo virtutibus deditus, sed, & in virtutem ipsam transiisse credebatur. Clypeum nobilitatis cognominatum fuisse refert Rodericus, quamvis & pauperum esset certa tutela. Quare pari consensu acclamabatur: pater pauperum, Religiosorum Ordinum zelans Patronus, virtutis certum munimen, tutela pupillorum, Justitiæ columen. Nulli deerat indigenti, nullum promisso, aut verbo fallebat: ditabat multos, felicitabat omnes. Magnanimitate singulari in adversa, & molestias depugnabat. Puritatis & continentiæ studio clarus nulli virtutum subtrahebat affectum. Fortis in hostes, munificus in res sacras, liberalis in subditos, reverens in Deum. Documentum modestiæ fuit; quòd absque nota disgustûs, absque tergiversatione ulla sustinuerit

à patre

à patre Alphonso, debitos sibi primogenito status communicari, ac dividi cum Ferdinando fratre minore. Passus scilicet regni partes à suo dominatu sejungi, modo virtutes, in unum se collectas retineret. Potuit illi auferri portio Principatûs, sed non potuit integritas laudatissimi Principis. Auxit famam generosæ mentis, cùm ab obitu Patris ipse Regnum Castiliæ, & frater Legionense moderaretur. Adfuerunt enim nonnulli, qui spoliatos se â Ferdinando fortunis quondam ab Alphonso obtentis querebantur. Non tulit, aut paternæ voluntati vim inferri, aut in fraterna æquitate quidpiam desiderari. Itaque pietatis, ac Justitiæ causa exercitum coëgit, quo ad saniora consilia fratrem adduceret. Impar adverso robori Ferdinandus elegit, quod erat consultius, nempe fratrem humili deprecatione placare; venitque mutato habitu, vultuque, delatus in conspectum Sancii, cum pranderet. Quid ageret Sancius, si probus non esset? Habet in potestate principem, & toties infidum ac molestum. Attamen ab ambitione, ac vindicta remotissimus mutare personam facit, & hospitem, non ut hostem, sed ut Regem accipit. Adhibet mensæ, reumque confitentem, quod culpam agnosceret, ac Sancium non modo ut fratrem, verum etiam ut patrem, & patronum revereretur, cui lubens regnum, & diadema deberet, atque in tributum, atque homagium venisset;

 nisset;

nisset complectitur; dignissima sanctè imperantis voce compellans: absit, inquit, frater dulcissime, ut tibi eripiam, quod pater amantissimus concessit: minus autem, ut vectigalem accipiam tanti parentis filium. Quod placuit patri, ut haberes, tibi habe: meâ sorte contentus vivo: patiamur tamen ambo, ut subditi in partem veniant rerum nostrarum, quorum subsidio majores nostri hæc ipsa à Mauris vendicarunt, quæ possidemus. Redde frater, quod Comiti Petro, cæterisque Proceribus sustulisti: abstinebo à bello, & conquiescam. Ita gloriosè Sancius, atque illicò jurans in verba Ferdinandus Legionem, & Castiliam mutuis virtutibus coronavêre: major Alexandro uterque abstinendo, quàm involando alienos principatus. Sancium porrò consecuta de cælo amplior remuneratio: quando Calatravæ jam ab ordinis Equitibus desertæ propè defendendæ impar, prodigiosum de cælo subsidium adversus Mauros impugnantes obtinuit.

§. XII.

Generositas Regis Ferdinandi II.

FErdinandus II. Legionensium explicato adversus Alphonsum Regem Portugalliæ exercitu, posthabito discrimine, quod erat præsentissimum privatæ utilitati, Religionis Catholicæ potiorem curam præfetulit. Eodem quippe tempore in Portugalliam irrupêre Arabes. Intellectâ

re Fer-

re Ferdinandus adversario suppetias misit. Exhorruit primùm Alphonsus ad copias, quas existimabat Mauris ab hoste suo in præsidium venire. At perspecto religiosissimo Ferdinandi consilio hæsit attonitus, devinctumque se professus est.

§. XIII.

Patientia, remuneratio, & correctio Regis Alphonsi VIII.

ALphonsus VIII. cognomento bonus, mensuram nominis implevit egregijs facinoribus, præsertim pœnitudinis de comissis peccatis susceptæ. Agnovit in horũ vindictam accidisse prælium ad Alcarcos infelix. Quare pijs operibus redimens malefacta consecutus postea est victoriam navalem per mundum celebratissimam, nationique Hispanæ perquam gloriosam, adversus Barbaros. Præterea ad numerum Sanctarum ædium, quas impensis pluribus Deo dedicabat, vicissim urbes & ditiones cælitùs recipiebat. Pietate felicitatem comparabat. Fortitudine inclytus, dissimulabat omnes injurias. Offensus calumnijs in faciem contortis ab adolescente quopiam, quasi non audisset, pertransijt. Davidem æmulatus in ferendo despectu, eidem in rememoratione propriorum delictorum suppar fuit, eorum demeritis opprobria exprobrantium evenire professus. Adolescenti prædicto Nobilitatem confirmavit, arma

& equum

& equum attribuit. Supra famam Marci Antonij liberalis, qui non plexuisse maledicum contentus fuit. Dedecet Principem toto robore uti in sui defensionem: Præstat vires, potentiamque, clementia atque humanitate attemperare. Magnanimi indicium tolerantia est. Cumulavit cælum gloriam Alphonsi in prælio navali affulgente â cœlo cruce in victoriæ omen, quemadmodum eadem Constantino Imperatori ad triumphum præluxerat.

§. XIV.

Virtutum pretia apud Alphonsum IX. Legionensem.

Regnante Alphonso IX. Legionensi magnæ generositatis exercendæ opportunitas in Regia se obtulit. Ejecerat Rex in exilium Urracam novercam & Didacum de Haro Toparcham Biscaiæ. Ad hæc oppugnabat Didaci Castrum Guiar, cui defendendo præerat Marcus Guttierez præclarus miles, ac Patrono suo obstrictus jurejurando, de nemini dedendo præsidio. Septennio Marcus adversus regios munimenta expugnando loco conduplicantes locum defendit. Absumptis jam viris, ac viribus universis, solus iste superstes tuebatur stationem, nec cogitabat de deditione. Attamen animadvertens frustraneam se operam facere, & perire sine fructu; appensis ad collum

clavi.

clavibus Castri, transverso situ corporis se collocat in porta, ut vel mortuus prohibeat hostem aditu. Interea Rex observata languidiore resistentia adversariorum, id, quod erat, subodoratus, impetu facto, conscensisque propugnaculis invadi arcem jubet. Obstupescunt regii quieta omnia, nec defensorem ullum: multò autem maximè cum in Marcum mortuo veriùs, quàm spiranti similem, protensumque in porta inciderunt. Delatus ille ad Regem lachrymas excivit; & commiserationem ad eam fortunam redactus vir fortissimus movit. Mandavit evestigiò Alphonsus, ut omni cura servaretur dignissimus vivere, qui sic mori delegerat. Adeò quoque constantiam hominis probavit, ut revalescenti gratias & honores locupletissimos obtulerit. At, Marcus; absit, inquit, ô Rex, ut abs te quidquam gratiæ, aut lucri capiam: à quo immedicabilem honoris jacturam sum passus. Tu mihi laudem profligasti, quam moriens fuissem consecutus, nisi castro expugnato me vitâ donasses. Dimitte me, & patere, ut redeam ad Dominum meum: qui capite truncato, vitam, quam indulsisti, quamque demerui non servato castro eripiat. Quid enim? fidem meam servando præsidio obstrinxi: sacramento teneor, dum vivo: Immortali amaritudine prosequar tui memoriam Alphonse, quod te obstante exequi juratæ fidei decora non valuerim. Rex cognita

Marci

Marci ad Didacum suum proficiscendi voluntate, obsecuturus anhelantis desiderio, hominem dimisit. Transiit illicò in Africam Marcus, ubi exulabat Patronus, adiitque hunc plenus tristitiâ, & lachrymis. Receptum peramanter studuit ille, quâ poterat, ratione consolari. Attamen ex memoria pristinæ fortunæ dum aliquando ab aliis celebraretur Marci constantia ac rara fides, inadvertentiùs prorumpens Didacus; Ita equidem inquit magnæ istud fortitudinis, ac fidelitatis documentum est; attamen desiderarem non amisisse castrum. Tum enimverò nova caligine generositas Marci offundi cepit; nec sustinuit ultra subirè oculos Didaci. Itaque Legionem redit, vili lacerna indutus, turbato capillitio, malè tectus, malè cultus. Pro captando hospitio divertit ad mapale canibus venaticis apparatum: ibi de residua panis annona, quæ canibus supererat victum capiens, unàque per noctem accumbens, aliquantum tempus egit. Observatur tandem â curiosioribus aulicis, agnoscitur, vulgaturque in regia, Marcum Guttierium ab Africa reversum inter canes regios hospitari. Accersiri virum jubet Alphonsus, rogatque causam portentosæ novitatis. Tum Marcus, quæ gesserat, audieratque in Africa singillatim enarrans, tandem orat, supplicatque, ne patiatur tanto tempore, exulem se atque infamem obire terras, obtestaturque sibi castrum restitui tutandum, ac defen-

fendendum: ne ultra esse possit, qui audeat improperare, quod verbo, fideique datæ defuerit. Rem miram! Vicit rara virtus, magnanimitatem Alphonsi; nam promptè: si, inquit, hæc tuæ ægritudinis unica est ratio, faxo, medebor: tantæ virtuti faveo lubens. Redi in Castrum, necessariis annonæ, & armorum nunc lautiùs instructum; neque modo illud, ut ante tuere, sed etiam pro tuo Patrono Didaco defende, aut cuilibet alterida, cui placuerit, nam & istud permitto Didaco. Fuit hæc munificentia, & generositas Alphonsi conjunncta cum prudentissima virtutis æstimatione illustre omnino decus regalis animi. Marcus in possessionem Castri pro Didaco de Haro Patrono pristino reductus, per literas certiorem Didacum fecit: & esse in potestate munimentum, ac salva omnia nunciavit: mandaret porro cui consignare, si placeat, castrum velit, atque tunc etiam solvere sese obligatione, quâ servando illi hactenus tenebatur. At neque Didacus vinci ab aliena generositate voluit. Rescripsit Marco Guttierio, uti arcem Regi Legionensi traderet, solvitque à juramento Marcum, simul confessus viri nobilis, ac generosi partes abunde eum hactenus adimplevisse. Ita honor Marco Guttierio, Regi gloria, Didaco civilitas, cæteris admiratio mansit.

(o)

§. XV.

§. XV.

Disciplina militaris, & literarum studium in Rege Sancio Strenuo.

SAncius quartus Palladis æquè ac Bellonæ studiosus fuit. Elucidarium composuit quæstionũ Philosophicarum, ac Theologicarum. Alium item Consiliis ac Consiliariis informandis librũ opportunum. Arma porro ut calamum scitissimè tractavit. Continuis in Arabes bellis exercitatus disciplinam militarem acerrimè tuebatur, nunquam inclementior, quàm in militum flagitia. Ut Rex diligebatur ab omnibus, ut bellidux ab omnibus timebatur. Nec decet militem, Julio Frontino authore teste, magis hostem, quam Ducem vereri. Inobsequentes in corona exercituum capite faciebat diminui: neque raro, ipse validis, ac robustis viribus pollens, sua manu delinquentes castigabat. Et suborto aliquando tumultu inter milites, & eousque progresso, ut mutuis se vulneribus conficerent, nec valentibus sedare contentionem atrociorem ducibus, percepto strepitu Sancius è lecto, ut erat interulâ tectus prorumpens, atque in globum tumultuantium immissus; Ubi fides vestra, inquit, milites? In me ferrum convertite, qui in hanc vos arenam adduxi; parcite commilitonibus. At cum nihil proficeret, correpta ex adstantium manibus lancea in pervicacio-

caciores invehitur, jamque uno, alterove ex iis confosso; Aut, inquit, in Mauros (nam & hi prope aderant conflicturi) aut in me pugnate; aut ego in vos desæviam. Cavete, ne ex furore vestro fiat lætitia barbarorum, neve cruentati Christiano sanguine sustineatis emori hostibus catholici nominis interim inultis. Ita commotos animos compescuit, meruitque timeri, qui reformidabat neminem. Supergressus Avidii Cassij strenuitatem, qui in simili seditione irrupit in aciem seditiosorum, ac præsentia discussit funera; quæ inconsultè parabantur.

§. XVI.

Benignitas Regis Ferdinandi IV.

MUnificentia, ac benignitate multarum regionum possessionem obtinuit Ferdinandus. Ad fauces mediteranei & Calpem expugnandam profecto occurrit Arabs perquam annosus: & Regem affatus: nescio, inquit, quem in finem â te, tuisque tanta patiar: Hispali natus â proavo tuo inde pulsus sum. Profugus Xere substiti ad columnas Herculis, atque ab avo tuo Alphonso jactatus iterum, cum nuditate, ac vulnere me oportuit longius proficisci: Tartessum abij, domoque ibi comparata, â progenitore tuo Sancio urbe captâ demû migravi, quo tandem abibo securus? Calpen, ut fortissimam Hispaniarum arcem tenui, ubi annos incanescentes finirem; nunc ades & tu, & expugna-

tis munimentis in novam fugam impellis. Transmittendum ne tandem mare, ut in Africa fruar optatâ quiete, nec calamitates meæ gentis ultra videre me contingat? Motus compassione Princeps benignissimè hominem complexus, navem illi, ut optaverat commeatu instructam obtulit; quâ in Africam traijceret: permisitque, ut quotquot socii se vellent conjungere, liberi irent. Vulgata per Mauros famâ eam Regiæ clementiæ existimationem peperit, ut quam plurimi spontè deditionem facerent. Tantum valet opinio benignitatis in Principe apud hostes quoque, ut superet metum armorum, quæ gubernantur ab iracundo. Ita Quintus Metellus omnem prope Hispaniam ostensâ mansuetudine Romano Imperio vectigalem fecit.

§. XVI.

Pœnitentia & emendatio morum in Alphonso XI.

EXegerat primos annos juventutis Alphonsus cum nota crudelitatis, animadversus injustè lacessivisse nonnullos. Secuta nihilominus pœnitudo, ut narrat Episcopus Palentinus acerbos mores in benignissimos mutavit. Moto in Portugalliam exercitu vetuit, ne ulla incommoditas fieret â milite, nisi adversum euntibus, & opponentibus arma. Pro innocentibus habebat, quamvis

vis in hostico qui aperto marte non adversarentur. Noluit, ut turbæ paupertinæ damnum crearetur: captos Portugallensium nobiles treecentos illicò dimisit, prohibuitque offendi. Vicit interim Clementia, subjugavitque sine armis Portugallos. Nempe Regem adiêre utque cum Alphonso paciscceretur impetravere; imò ad expeditiones postea susceptas merentes in castris regiis sunt Alphonsum deinceps prosecuti.

Contigit ad Algeziram, ut evercitus deficiente annona fameret Rex cibos mensæ regiæ deputatos distribui per castra jussit; mansitque ipse sine cibo: affirmans velle se inediam pati pro milite, qui causa sui patiebatur mediam. Deliberaverat audacissimus Maurorum nonnemo Alphonsum de medio tollere, jamque conjurationem confectam fassus, operiebatur meritam pro tanto facinore cogitato vindictam. At obstitit clementia Alphonsi, liberumque dimisit, cum addito: Iret, & â Rege suo præmium postularet vitæ in discrimen conjectæ ejus, ac patriæ causâ. At neque barbarus probavit facinus, sed temerarium immani supplicio affici fecit.

In expugnatione Tartessi postquam Granatæ, & Africæ Regem debellasset, opulentissimos nactus thesauros, nihil omnino attigit, quoadusque Regi, ac Proceribus, militibusque â Portugallia, qui suppetias tulerant, prædæ maxima pars delata

 cessisset.

cessisset. Instantibus iisdem, ut portionem ampliorem caperet, paucis armis in participationem lucri accedens contentus fuit. Ex spoliis augustioribus singulare munus summo Pontifici misit, cum adjuncto militari vexillo, quod Regi Sarracenorum antea præferebatur, gratias pro victoria Divino subsidio referens quem in persona sui in terris Vicarij adorabat. Et Pontifex indicta Romæ supplicatione religionem, fortitudinemque Alphonsi cooperatam Divinæ gratiæ celebravit.

§. XVIII.

Regis Joannis amor, & commiseratio in subditos.

AD cæteras virtutes, Pietatis in Deum, timoris Domini, reverentiæ sacrorum mysteriorum; adhæc strenuitatis regiæ etiam per fortunam adversam comprobatæ, addidit Joannes laudatissimam ad populi utilitates promovendas teneritudinem. Induebatur, dum imperavit, veste lugubri. Rogavere in comitijs Vallissoleti celebratis proceres, ut posito tandem luctu serenaret hilariore apparatu Regiam. At Joannes causam assumpti luctus exposuit. Aiebat; principio regni observatum à se fuisse, quod justitia & probi mores neglecti indignè haberentur: conatum se fuisse ut reponeretur in thronum æquitas, quam pro meritis amabat: suo tamen demerito nihil hactenus

nus pro dignitate virtutis impetratum: imò squalidam illam ac mœrentem oculis sibi continuò obversari. Proinde indecorum videri, ut æquitate contempta eius administer Princeps festum agat, & celebret hilaria. Observasse se quoque corruptos passim per regnum mores, qui ab amore & commodo proprio lactati emendari vix possint: quare incredibili se mœrore affici, quòd opportunissimam regno, super morum corruptela, sanationem facere non valeat. Insuper exhaustas subditorum facultates dolere se, quas aggravatis tributis antea oneraverat; magnum videlicet sui diadematis nocumentum. Denique acerbissimi luctus sibi causam esse, quæ magis animum cruciaret, quàm pulla veste pro dignitate possit explicari, quòd in nupero ad Aliubarottam prælio infeliciter gesto magna in populo, magna in nobilitate clades facta Castiliam exhauserit. Hunc dolorum suorum fontem nequaquam reprimendum unquam, quoadusque divina bonitas sui, atque publicæ per regnum calamitatis misertus, modum adferat alleviando sibi â tristitia, & subditis ab oneribus tributorum gravissimis. Ita consilij sui rationes prosequebatur Joannes. Et verò subjungebat. Quod si hilarem imposterum Regem vellent in hæc pacta convenirent. Nemo subditorum, conditionis cuiuslibet, aut sexûs auro, sericove imposterum vestiretur: nemo argentum, aut gemmas deferret. Mox in pactum,

atque exempla regis composita gente; ut etiam exactionibus publicis limes fieret, Joannes aulam cum regiarum prolium, ac Reginæ cultu reformavit. Exinde milliones brevi tempore collegit, quorum profusionem antea factam, cohibuerat; atque hoc ære in publicum collato supplevit vectigalium pondus, quod regnum aggravabat. Monitus præterea, quod actionibus consilia sapientum nequaquam præmitteret, libereque pro voluntate multa ageret: quatuor Episcopos, ac totidem Jurisperitos designavit, qui negotijs gerendis assisterent. Ita regnum omne ad tranquillitatem decentiamque composuit. Hic porrò idem fuit, qui quod ex consuetudine prius factitabatur, postea lege etiam lata, ut observaretur, firmavit: nempe ut delato per plateas ad infirmum quemlibet venerabili Sacramento, nemo subditorum, qui id oculis observaret, imò neque Rex, aut Regina, aut regius Infans immunis ab obligatione esset, illud quantocyùs prosequendi, ad Ecclesiam usque unde delatum fuisset: prohibuitq; ne ulla pulverum, aut cœni molestia quenquam dictorum ullatenus excusaret ab hoc officio.

§. XIX.

Prudentia & Justitia Regis Henrici III,

REgnum adolescens accepit Henricus; ijs tamen canæ prudentiæ dotibus ornatus, ut circumspectè

cumspectè & sapienter ubique agens, æquaverit ætate provectos. Paucis, quibus regnavit annis præclarorum facinorum, ac virtutum admirabilium multam seriem edidit. Urgebant initio proceres, ut medelam adhiberet periclitanti Reipublicæ ex neglectu justitiæ. At inquit, Henricus, unde hæc libertas impunè agendi invaluit? Replicabant illi: factum inde, quòd criminibus supplicia non forent. Inde igitur, inquit Henricus, auspicabimur emendationem publicam. At si reos vos ipsos comperero, à vobis ordiar. Cæterum scitote sanando corpori, nec ignem, nec ferrum admovendum esse, ubi medicamini leniori locus superest. Toleranda quædam, donec ratio temporis & personarum qualitas aliud non patitur. Rexit enimverò Henricus ea moderatione, & prudentia, ut non multò post non superfuerint querelæ, nec quæ corrigerentur delicta. Aptabat se ingenijs suorum; colebat viros literatos, ac sapientes: aiebat Rempublicam consilijs efficacius, quàm armis conservari: plus intellectu, quam ferro ad eam tutandam, ornandamque opus esse. Non ferebat Dicasteria, & magistratus segniter suo munere fungi. Deprehensos peccasse in æquitatem severe coërcebat; atque hos severiùs, qui opulentiores erant: aiebat enim sufficere argumentum ad plenè convincendos tales malarum artium, quòd admoti ad magistratum pauperes, in eo locupletes facti sint.

Admodum liberalis, ac ſplendidus, œconomiæ tamen non defuit: congeſſit theſauros, qui bello in Mauros gerendo poſtea ſuffecerunt. Stupebant omnes, unde Regi divitiæ, cum nec avarus, nec in populo exactor eſſet: imò aſſereret; præſtantius ſibi videri ærarium, quod diffuſum per Rempublicam, quam quod parietinis quatuor clauſum poſſidetur: nec Principem divitis populi futurum unquam pauperem rectè cenſeret. Quæſitus â milite, quâ ratione opulentior ſit factus? reſpondit: theſauros regios vehementer accreſcere, quando Rex non auri, ſed juſtitiæ eſt cupidus. Henrici pretioſiſſimum illud effatum fuit, cum ſuadentibus, neſcio cujus vectigalis, ad facultates regias augendas, non attento decore ac famâ regnantis, impoſitionem, repoſuit: omittite conſilium: plus timeo lachrymas ſubditorum, quàm gladios hoſtium. Populo nempe, non ſibi curam impendebat, & gubernando ſolius ſibi bonæ famæ fructum ſeponebat. Ejuſdem & iſtud fuit: Quæſivit aliquando, num ad portam palatii adeſſent, qui poſtularent audiri? reſponderunt circumſtantes, adeſſe; ſed non admitti, ne fortè incommodarent regi, tùm nonnihil ægrotanti. Indignatus Henricus: ite, inquit, accerſite, Rex non ægrotat: abſit, ut quiſquam lamentari poſſit, Regem ab officio vacare. Timeri præterea voluit. A Præfecto aulæ Joanne Hurtado de Mendoza rogatus; cum ſic æquus eſſet, cur

timeri se crederet? respondit, quia DEum ego timeo, ideo me quoque subditi timent.

Regem majestate, ac potentia; Patrem clementia ac bonitate repræsentabat; ideoque mortuum subditi ut patrem amissum ploravêre. Tractabat causas publicas, præsertim Justitiæ advigilando ipse: Præmittebat actionibus consilia ministrorum quibus prudentiam consociabat suam. Probè intelligebat solicitudinem in negotijs providentiâ, curaque regiâ stipatam generare benevolentiam & affectum subditorum; qui continuò remissior evàdit, quantò negligentior publicæ rei Princeps, se muneri suo subtrahit. Singulari cum circumspectione deligebat ministros; cujusvis genio atque aptitudini proportionatas actiones designando. Ajebat; expendi debere multa cum consideratione eos, qui in plura negotia, ad tempus productius erunt applicandi: periculosæ plenum opus aleæ esse deligere cooperatores boni publici: Per eos stare, aut minui regiam in populo existimationem. Adepta nondum administratione regni exactè penetrasse visus fuit, quantùm minorenni sibi tutores detrimentum creaverint. Quare orator Pontificius, Episcopus S. Pontij, affirmabat: non Principis teneram ætatem, sed ambitionem gubernatorum formidandam esse: illam tempore, ac maturato judicio emendari, hanc pernicie majori in Rempub grassari. Attentus in concedendis gratijs opportu-

P 5 nè sa-

nè satagebat, ut tempori, & meritis causæ universim impenderentur. In victu, & apparatu aulæ moderatus decentiam spectabat, non dissimulatâ curâ augmentandi ærarij, ne aliquando necessitas ad tributa exigenda impelleret, atque ut exhausto illi per patris & Avi profusiones factas quæreret remedium sine cujuspiam molestia. Multùm studuit promovendæ Religioni Catholicæ, præsertim restituendæ, ubi pressam intellexerat. Viris eruditis, ac sapientibus delectabatur, affirmans plus Atheniensibus Solonis consilia, quàm Themistoclis victorias profuisse. Didacus de Valera Reginæ consiliarius, ac Præfectus regij cubiculi in Historia Regum Hispaniæ refert; Henricum fuisse laudatissimum Principem, & quà sago, quà toga, apud viros utriusque fori celebratissimum: Pacem, & concordiam regno procurasse: curam æquitatis viris eruditionis, ac conscientiæ probæ commendasse: hos præmijs, & muneribus decorasse: deprehensos in offic j neglectu severè punivisse: depressisse arrogantes: erexisse modestos: populum reddidisse opulentum: thesaurum ex proprijs redditibus locupletasse; nec ad eum quidquam per pauperum lamenta intulisse.

Narrat prædictus author binis eventibus sanè memorabilibus Henrici gubernationem fuisse celebratam. Horum prius confirmat doctrinam Aristotelis; quod Regibus maximopere conveniat,

niat, pecuniosos esse: neque unquam expedire profusionem ærarij, uti neque gratias, atque exemptiones paucorum, eò quòd istæ paucis impensæ, plurimis,& bono communi incommodent. Reversus aliquando à venatione Rex, quam frequentabat, ut animum à curis remitteret; cum hora diei inclinatior esset, nihil quod apponeretur pransuro sibi ac Reginæ reperit. Postulanti causam, reposuit obsonator; nihil expendendæ pecuniæ, imò neque oppignorandi, quod antea fecerat, quidquam in usus regios superesse. Acerbè responsum tulit Henricus,Et,ita ne, inquit, Castiliæ Rex septuaginta millionum Dominus, tantum æris non habeat, ut mensam instruat? Tum penula ab humeris rejecta, Ite, inquit, & date in pignus, binosque de vervece armos comparate. Factus illicò ex venatione coturnicum, & comparata carne regalis mensæ apparatus, tantò admirabilior, quantò prodigiosiùs, à potentissimo Rege amictum in cibos, & spolium corporis in nutrimentum converti. Moris tùm erat, ut Palatini per vices se mutuò ad cœnas invitarent; Ita luxus obeundo per ordinem singulorum ædes, opes, quas comparaverant armis, profundebat in convivia. Eo ipso die Archiepiscopus Toletanus cœnam regio comitatui apparaverat. Rex posito cultu habitum mutat, intratque ædes, & cœnaculum accumbentium, observaturus convivantium delicias, & potissimùm sermones. Quisque intelliget,

get; quo vultu altilium, & culinæ cæteras cupedias inspexerit: nempe usumfructum patrimonij regij, quem hilariter illi equidem Rege otiosè spectante absumebant. A cœna consecuti sermones opportunè ad intentum Regis. Nam quisq; annuos redditus quos habebat, magnificè enumerabat, facta quin etiam comparatione cum regiis, quos vel æquare vel non admodum inferiores esse dicerent. Captâ quam desideraverat, informatione Rex ad palatium revertit: decernitque opimas prædas, quæ in cassem ex nocturna cœnatione, rectiùs venatione venerant, retibus concludere, & injuriosa per rapinas capita throno suo immolare: indignum omnino ratus, eos ex alieno splendidè vivere, se ex proprio famere. Cautè igitur sub noctem adesse in aula jubet sexcentos armatos, & cohorti addi mandat Matthæum Sanchez expeditum ad secutura mandata carnificem. Postero die sub diluculum nihil opinantem Archiepiscopum exciri à strato ad regiam jubet; nunciatque se colloqui velle, motum ægritudine non levi, super ultima voluntate. Advolat ille, & simul acciti adsunt cæteri nuper convivæ, etiam, quòd periculum festinationem mandaverat, â servitio incomitati. Sub meridiem prodit è conclavi Rex ferro dextram armatus, & lævam obvolutus penulâ pro carnibus emptis heri oppignoratâ, at nunc denuo redempta. Tum vultu, ut pridie turbato, versus ad Archiepiscopum interrogat;

quot

quot Regibus Castiliæ convixisset? Replicuit Archiepiscopus, Majestatis vestræ quatuor antecessoribus servivi, quintum nunc in Majestate vestra veneror. Ab isto cæteros ordine perquirit ex eadem formula: nec fuit qui plures quinque nominasset. Tum Henricus. Quâ ratione fieri credam, ut vos annosiores paucioribus convixeritis, cum ego multò ætate minor, viginti omnino Reges Castiliæ noverim ac numerem? Attonitis, & terrore ad has voces perculsis, incitatior ille; Vos inquit, vos reges estis: nequaquam Ego: vos imperatis vectigalia, vos spolia, & fructus reddituum regiorum tenetis, vos jus Regum Castiliæ usurpatis. Reos capitis, & fortunarum pronuncio. Ad sonum invectivæ moniti ex composito adfuêre armati: ac primùm carnifex ensem, funes, instrumenta suppliciorum in medium infert. Archiepiscopus desperata omnia circumspiciens: ætatem, meritamque indignationem Henrici reveritus, DEO, & regiæ Clementiæ potiùs, quàm defensioni, causæ patrocinium sapienter, & generosè committens, in genua provolvitur, & veniam obsecrat. At Rex urget increpationem, rationes accumulat susceptæ indignationis, divisim causas omnes justæ iracundiæ accuratè pertractat: Tandem tamen placatior: vitam, inquit, condono. At volo, ut priusquam â conclavi exeatis, exactissimum computum redditurum usurpatorum faciatis, & fateamini, â tempore, quo

hæres

hæres ad diadema successi. Fecere omnes imperata obedienter; & cessêre arcibus, quas involaverant; restituêre lucra, quæ impunè aggesserant, solvêre centum quinquaginta milliones Maravidiorum inferendos in ærarium; dimissique sunt domum post alterum mensem. Hoc facinore incredibilem sibi timorem, ac reverentiam apud omnes conciliavit Henricus, Justitiâ nempe ac clementiâ usus in castigando scelere, & reparando bono publico. Nec fuit illo Castiliæ Rex, qui lucrosius sibi regnum effecerit.

Nec minus prospera fuit expeditio Henrici altera, quam profectus Hispalim suscepit. Gliscebat in populo factio ingens In turbido suæ utilitati studebant, qui seditionem extinguere poterant. Ex his erant primarij, Comes de Niebla, & Comes Petrus Ponce. Instabat per edicta Rex, & præstolabatur patienter inter adversantes, viros equidem generosissimos, optatam concordiam. Mittebat turbarum, causarumque inquisitores, qui infecta re, nulla compositione impetrata revertebantur. Visa importunitate factionis, quæ reverentiam non haberet regiis edictis, & justitiæ aram calcibus elideret, ipse coram rebus mederi, atque Hispalim ad cognoscendam, finiendamque pro dignitate causam accedere statuit. Itaque conscensa navi cum procerum paucis Corduba per Bætim eò appulit. Urbem ingresses in diem posterum mandavit acciri prædictos Comites, unàque

unàque urbis aministratores judices, atque bis duodenorum primorum civitatis ſenatum. Clauſo primùm Urbis aditu, poſtea etiam aulæ, quò convocabantur Primores, obſervari atria â militibus juſſit, forumque publicum omne. Rebus providè diſpoſitis prodit ad multitudinem Henricus. Timor omnibus idem, ſed tantò vivacior ſingulis, quantò quisque ſe reum, ſibi pejus conſcius, magis experiebatur. Actorum voluminibus recluſis Rex aſſedit in throno, ut præmia, ſic pœnas pro meritis diſpenſaturus. Ululatus primùm; ac ſtridor dentium partes diviſit. At impetrato ſilentio quæſivit Rex; qui Judices, qui arbitri civitatis eſſent? Tum adſtantibus illis: Quæ diræ, inquit, vos tenuêre, ut quibus urbis tranquillitatem conſervandam commiſi, vos æquitate deſerta ſitis auſi licentiam pro animi veſtri affectionibus, tot ſcandalis, cædibus, atque rapinis indulgere! nec admiſſa defenſione illicò Comitem de Niebla & De Ponce capite truncari mandat, quòd flammæ publicæ oleum addere ſuſtinuerint. Tùm ſenatum, ac Judices officio depulit nunquam reaſſumendos impoſterum, eorundemq; munerum ſpe filios ac nepotes privavit, officiis publicis exuit, & â gratia ſua perpetuò extorres fecit. Viſus fuit eo rigore regionem, non modò ſubditos perterruiſſe. Diffugiebant in tenebras improbi, ne occurrerent Principi Probitatis vindici. Sed neque tenebræ ad occultandos

tandos valuêre. Inde illos protrahi per vigilantiam Præsidum, ac potissimum Judicis Curiæ, Joannis Alphonsi de Tauro legum Doctoris fecit; quem civitatis superintendentem constituerat. Producti è latibulis facinorosi, maximè alienæ vitæ insidiatores mercede conducti, plus mille â patibulis pependere. Ita justitiæ litatum fuit, quam decuit laurea & palmis decoram triumphum canere, & superstites etiamnum improbos monere emendationis, populumque universum cum apprecatione longævitatis apprecari fausta omnia Henrico. Cordubam similis tempestas ad salubrem malaciam composuit. Reversus in Castiliam Rex acclamationes publicas, & famæ præconia ingentia obtinuit. Ejus pro tribunali sententia quàm late imperavit, tàm euntes promptè in suffragia, obsequentesque habuit, ut â Proceribus ad infimam plebem, nemo unus esset, qui ut Numen aliquod divinum nomen Henrici non revereretur.

§. XX.

Illustres Virtutes Regis Ferdinandi V. & Isabellæ Reginæ Catholicæ.

IN Ferdinando & Isabella Regibus claruere generositas, & magnitudo animi; justitia item & munificentia & amor subditorum: Tantò afficiebantur dolore auditâ morte præstantiorum in

bello

bello Ducum, aut Præfectorum, ut tenerrimis lacrymis tanquam filij charissimi obitum deplorarent: Induebant luctum, abstinebant à publico: consolatores mittebant ad defunctorum consanguineos, multis istos gratijs locupletabant. Hâc benignitate devinciebant animos, ut immimente bello nemo parceret impensis, nemo sanguini, alacres ad quodvis discrimen pro Regibus subeundum. Exinde provenêre expeditiones bellicæ gloriosissimæ, comparati Duces in armis strenuissimi, Consiliarij in senatibus prudentissimi; lactati scilicet, atque enutriti ad gloriam, & heroica facinora à magnificentia & liberalitate dominantium. Misericordiâ in pauperes ferebantur incredibili; quos sublevabant; in orphanos, quos dotabant; in pias domos, quas locupletabant, & adornabant.

Bono publico promovendo singularem industriam conferebant; conservando illi, atque amplificando rationibus, ac medijs studiosè adinventis. Propugnandæ justitiæ societatem laicam; tutandæ Religioni tribunal Inquisitionis erexerunt. Regnantium curâ ac pietate pulsi à finibus Hispaniæ Judæi, ac Mauri. Ut moribus Christianis firmandis succurrerent, viros probitate ac doctrinâ præstantes Episcopatibus præficiebant. Qui si munus, aut ex oneris gravitate, aut ex amore privatæ vitæ recusarent, agebant cum Pontifice, ut præcepto compellerentur officium

pastorale suscipere. Deligebantur ad sacras Prælaturas, qui meritis, non qui ambitione vocabantur. Delectus spectabat utilitates publicas, non respondebat privatis prætensionibus. Quare in eo fastigio collocabantur, qui sanctitate vitæ, & contemptu mundi, ac meritis in causa Religionis clari repræsentare possent gubernationem Ecclesiasticam Sanctorum Patrum Basilij, Ambrosij, ac cæterorum, qui fugiendo honores, iisdem se dignos reddiderunt, & constituti in dignitate ex zelo animarum conspicui maximè evaserunt. Tantam pro Ecclesia Dei solicitudinem Ferdinandi, & Isabellæ compensavit Altissimus per monarchiam Hispaniæ, horum dominantium diademati illigatam. Confluxêre tum in unam Domum Regna Arragoniæ, & Castiliæ, & Gentilitia Lusitaniæ. Obtinuêre armis regnum Granatense pulsis ex universa Hispania in Africam Arabibus. Accessit Regnum Navarræ insertum patrimonio Regis Arragonum Ferdinandi. Ex Hispania in Italiam producto Imperio Regnum Neapolis additum. Ex Europa in Africam continuatis victorijs ac barbaris depulsis Icosium, Brugia, Melilla, Tripolis urbes acquisitæ: protenso à continente in vastum mare dominio Insulæ Canariæ subjugatæ: visus demum noster orbis gloriæ maximorum Principum perangustus, iisdem se novus aperuit: supra Alexandri magni vota non optato duntaxat, sed detecto, domitoque novo

novo mundo, cui felicitas Regum Hispaniæ imperaret.

§. XXI.

Liberalitas in egentes Philippi I.

BReve tempus imperandi, vastum benefaciendi obtigit Philippo. Paucis diebus famam liberalissimi consecutus fuit, quæ complurium annorum exercitio par evaserat. Alij magnum dixere, Vernuleius liberalem, omnes à virtutibus universis illustrem. Voce publicâ decantabatur, Philippum non defuisse ulli, quem miserum scivisset, cui potuisset subvenire. Simul liberalem, simul misericordem, simul charitate, ac prudentia conspicuum celebravêre. Prudentiæ quippe est necessitati munificentiam impendere; charitatis verò, non modo Principem, sed ut Christianum Principem benefacere. Desiderabant Proceres Castiliæ frui ex propinquo Philippi indole, quem Ferdinando Catholico jam præferebant. Argumentum prudentiæ Philippi captârant, cùm accipitrem qui aquilam in propylæo Aulæ stantem involaverat, occideratque, jussit reciso capite mactari; asserens impunè non debere dimitti subditum, qui in suum Principem se hostiliter armasset.

§. XXII.

Virtutes Philippi III.

PHilippi III. singulare decus fuit, è pluribus virtutum, vitæ innocentia. Undique cognomentum Sancti obtinuit. Confixus intimo Dei timore, ignotum reliquit, num aliquando lethaliter peccasset. Coronavit Deus hunc Principem felicitate eximia. Amplioris potentiæ hæredem reliquit, eâ, in quam ipse successerat: expertus pietatem, ut ad omnia, ita ad regna quoque amplificanda utilissimam. Magna Regum gloria, Deum nunquam offendisse: magna exinde subsidia æterno juxta, ac temporaneo coronæ emolumento. Etiam dum vivunt, intaminati à sceleribus Principes Deum observatorem habent, & fautorem. Castitatem coluit libertate regiâ longè maiorem. Extra thorum, quem solo successionis affectu inivit, omnem fæminam nescivit. Nec intuitu, præter honestum, usus. Prope juvenis ab uxore solutus, vixit ut maturitate senex, ut circumspectione virgo. Remotus ab illecebris carnis, voluptatibus animæ abundavit. Deo charus, & hominibus amabilis, in hos affabilitate, in Deum pietate, in Religionem fervore, & constantiâ, in se ipsum severitate, cruentis in se flagellis identidem desæviens, ferebatur. Sedis Apostolicæ Romanæ filius obedientissimus, defensor Christiani nominis fortissimus, Imperatori Romano Germanico,

manico, statibusque Imperij Catholicis servandæ, veræ Religionis causâ perpetuus auxiliator fuit. Ab universa Hispania tandem ipse Mauros omnes, & Maurorum propaginem pestiferam exegit. Horum conjurationem atrocissimam edicto unico profligavit. Erant conspirantium nongenta millia. Nemo unus omnium ausus est opponere se Regi. Ipsi, qui jugum imponere Hispaniæ meditabantur, pulsi in exilium, contenti fuêre in redemptionem vitæ, fortunarum quoque jacturam pati.

CAPUT IV.

Virtutes coronatæ Religionis, & Prudentiæ Ferdinandi II. Imperatoris, & Philippi II. Regis.

RECensuimus gesta Heroica Imperatorum è domo Austriaca, ac Regum Hispaniæ, meritissima, quæ transeant in Ideam Principum lectissimorum. Placet distinctiùs ac pleniùs prosequi binas virtutes apprimè necessarias Imperantibus, Religionem & prudentiam. Habet Princeps binas obligationes, ad quas se continuò, ut reflectat, oportet; alteram versùs Deum, cuius Dominio subest, alteram versus subditos, quorum imperio præest. Religio cum Deo conjungit, pru-

dentia hominibus adaptat. Illa Regi Regum immortali Regem applicat, hæc mortalium gubernationi dignè accomodat. Utramque in hunc locum sepoſui, ut ambas virtutibus cæteris eminentiores, exhiberem in duobus Principibus per mundum celebratiſſimis. Fuêre ambo ſecundi, ſed ſine primo, in hoc genere virtutum. Religio Ferdinandi II. Imperatoris, ac pietas cunctis gentibus notiſſima. Philippi ſecundi Regis Prudentia per univerſum, quâ vaſtè dominabatur orbem vulgatiſſima. Digniſſimi ambo vitâ & gubernatione immortali, vivunt etiamnum in memoria ſæculorum. Sublati ab oculis viventium, perennant in vivaciſſima rememoratione hiſtoriarum. Multum conferunt, ait Seneca, ad inſtitutionem vitæ exempla maiorum. Et memoria Heroum æquè utilis eſt, ac fuit præſentia.

§. I.

Ferdinandus II. Imperator, Catholicus, piiſſimus, clementiſſimus, liberaliſſimus, in omni virtute excellens.

DE virtutibus pijſſimi, & catholiciſſimi Imperaroris Ferdinandi II. librum conſcripſit Guilielmus Lamormaini, quamvis volumina ad plene complectendam glorioſiſſimi Principis heroicorum facinorum omnem ſeriem non ſuffeciſſent.

Ex

Ex illo disertiùs quædam delibabimus attestationi firmandæ, quòd Ideam optimi Principis absolutissimam, atque ad imitationem Davidis Principem secundùm cor Dei efformatum, mundo exhibuerit Ferdinandus. Omnis illius actio, pietatis, & Religionis, charitatis, ac zeli Divini odorem traxit. Quidquid operis præstabat, condiebatur morali prudentia, quæ intra naturæ cancellos minimè conclusa, erigebat se continuò ad principia supernaturalium luminum. Fide divinâ motrice videbatur operationem auspicari, fide terminare. Pietate & religione ardua politicarum virtutum exercitia sic incingebat, ut sejuncta nemo uspiam dignosceret. Regulas agendorum celsissimas, & divinis propiores semper præsetulit. Procul aberat ab idolo prudentiæ, quam affectatam, & vafram politicam vocamus; quâ Principum nonnulli hodie utuntur, malo suo pessimo. Nihil genuinæ prudentiæ, ubi simulatio, & mendacium; aut ubi, quod scelestiùs sæpe intervenit, abusus Religionis, aut res divinæ versæ in instrumentum designationum creatarum. Summæ imprudentiæ est nota, si contendas stabilire monarchiam, quæ donum Dei est, astutiâ, & fraudibus mundi, tanquam fulcris, Deo quàmmaximè odiosis Solicitudo una Fedinandi fuit exaltare, & promovere fidem Catholicam, quæ unica basis veræ prudentiæ, & politicæ existit Prima illi cura gloriæ Divinæ, exinde verò negotiorum publicorum.

Præferebat consiliarios; qui conspicui ab obsequijs pro Religione impensis; quàm in alios fines comparatis clarerent. Exigebat ab his talenta, & experientiam; sed multò ampliùs veritatem, ac timorem Dei, Amabat sinceram dicendi libertatem. Aiebat sibi nequaquam placere canes mutos. Exosos habebat eos, qui vel humano respectu, vel timore præpotentium discederent à dictamine conscientiæ, & libertate judicij. Delectabatur ijs, qui animo limpido, mente sincerâ, liberè, & modestè quæ conceperant, edicerent. Sæpius contigit laudatum ab illo fuisse consiliarium, qui fidenter sententiam pronunciaverat, imo comprobatione, & dilucidatione Cæsarea suffultum. Ubi aliquem è primoribus consulentium advertebat indignari,& divertere ab opinione, eâ de causa, quòd inferioris notæ alter sua liberaliùs protulisset; partes huius defendendas arripiebat, parabatque libertatem cæteris abeundi, quà vellent, in vota. Cum de rebus arduis, præsertim de vita, & fortunis privatorum deliberaret; primùm ab omni turbatione mentem expurgabat; tùm ardenter cum Deo conferebat, & virorum religiosorum preces in subsidium vocabat: demùm consultabat accuratè & secundum potiores sententias pronunciabat; affirmans tutius esse plurium judicio niti: atque etiam fortè falli, quàm proprio præsumptuosè confidere. Ubi casus consultationem excludebat; totus impensiore

ſiore ſtudio ad captanda de cœlo conſilia verſabatur.

Decreverat Viennenſis ſenatus, ne quiſquam ab urbe in vicum vicinum, Hernals nuncupatum digrederetur, audiendis ibi, participandiſque doctrinis ſectæ Lutheranæ. Acerbiùs tulêre hoc edictum Proceres Acatholici. Quare apud Ferdinandum congregati proferebant indulta, ac libertates priſtinas, multumque lamentabantur ſibi vim inferri. Perorantibus illis Cæſar Catholiciſſimus cruce identidem pectus ſuum muniebat, & voce cordis intima deprecabatur DEum, quò reſponſuro ſibi linguam regeret, ne ulla ex parte quidquam ediceret, quod aut in præjudicium Religionis Catholicæ cederet, aut crudeliùs irritare hæreticos in publicam perniciem poſſet. Ubi gravioris momenti conſultatio inſtabat, aut deliberatio de Republica; & pluribus conſiliis, & frequentiùs interrogatis utebatur. Agebatur de bello Mantuæ Duci inferendo. Tùm manu ſuâ ad præſides conſiliorum, ac Tribunalium datis literis Cæſar perſcripſit: irent iteratò, ac ſæpius conſultaturi, priuſquam edicerent ſententias, atque illud demum ſtatuerent, pro quo rationem ſine animi moleſtia reddere ſe poſſe illicò ſibi non diffiderent coram DEO judice. Ordinavit, ut eadem præmonitio prælegeretur conſiliariis, quoties eadem in cauſa deliberaturi congregarentur. Quando negotium in materia religionis tractandum

dum occurrebat; primùm opinionem Theologorum è diversis Academiis exquirebat, quam scripto sibi consignari postulabat, quò attentiùs legendam & expendendam haberet. Post hæc ad deliberandum evocabat Episcopos, ac Prælatos, quos noverat rei Catholicæ zelantiores: ab his exquirebat sententiam, sed præmonitis, ut fidei incolumitatem ante omnia spectarent; ut id edicerent quod æquum coram Deo judicarent; utve scirent suam se in eorum humeros conscientiam exonerare: ideoque pro doctis, ac piis electos, constitutosque illos abs se, qui præ cæteris in præsidium, ac defensionem Religionis debeant advigilare. Cum res deliberanda adeo tecta esset, ut pluribus simul communicari non posset, hoc utebatur artificio: singulos seorsim consultores evocabat: sententiam scripto postulabat: eam denique cautelam adferebat, ut quisque se consultum duntaxat existimaret. Ita gemino cum fructu operabatur; nam plurium sensa colligebat, & certior fiebat de integritate secreti. Cujusque enim intererat silentio abscondere, quod uni sibi concreditum putabat. Prudentiæ Ferdinandi pretium addebat columbina mansuetudo. Videbatur omnino consecutus doctrinam Christi, quâ mandat: estote prudentes, sicut serpentes, & simplices sicut columbæ: nulla fictione aut deceptione vitiabat intentionem: quod in corde, hoc erat in ore: sensui interno respondebat sermo

mo externus: ignorabat artes, quibus æquivocaret. Innato candore serenabat animos: sincerissimam mentem allucebat â vultu, ab oculis, â gestu, â sensuum compositione. Regnandi artem, quam error multorum in fastu, ac mendacio collocat, solebat regnorum pestem cognominare. Extrema nempe deceptionum tandem patent: ac simul fundamenta imperiorum, & coronarum bases subvertuntur. Sæpe cum magno sensu indignabatur, & dolebat reperiri Principes, qui pro fulcro gubernationis fraudem assumerent: qui aliud animo, aliud ore versarent, quòd isthæc nec Christianum quidquam saperent, nec illustrem indolem decerent, minus regiam, aut Imperatoriam loquerentur. Dum esset Archidux Ferdinandus, postulanti cuidam è palatinis admodum charo ob familiæ splendorem commendatitias literas; gratiosè eas concesserat. Non placuit alteri, non inferioris fortunæ aulico, gratia Principis, æmulo, sibi non æquè dilecto, impensa. Credens itaque præjudicio sibi futuram, penetrat ad Cancellarium, fingitque mandasse Archiducem, ut equidem eas gratiæ literas expediat, ejus tamen ac suam mentem esse, ut Ferdinandi nomine seorsim alias det, in quibus amico, cui inscribebantur Principi significet, commendatitias fuisse datas ad instantiam importunè postulantis, qui molestissimè tulisset, si fuissent negatæ: Interea Archiducem cupere, ne intercessio prosit; nec judicare, ut peti-

tio

tio minus proficua supplicanti exaudiatur. Miratus fuit commutatam improvisò sententiam Cancellarius. Sed quia perspectum habebat Archiducis candorem, simul suspicari fraudem cœpit. Redit ad Ferdinandum, factumque exponit. Vix aliàs magis indignatum observavit,ut fraudem commissam audijt. Quæ inquit hæc hominis audacia, & temeritas, ut mendacem me ac deceptorem facere attentet! Accusari malim cæterorum, quam falsi. Nescit, quam amo, sinceritas subdolas artes, neque curat addiscere. Tu literas expedi, prout imperavi. At ille ab aula exulet dimisso officio. Non patiar, ut in me, aut mecum habitet fraudulentus.

Errata â Palatinis quibus familiariùs utebatur commissa summo cum candore, & sinceritate corrigebat. Non ferebat in illis nævos,quin de ijs illicò commonefaceret. Ajebat, maximæ in omnes benignitatis argumentum esse, si neminem patiatur Princeps in moribus defectuosum. Constanti libertate utebatur in Proceres etiam majoris notæ: nec acerba cuiquam fuit admonitio, quæ â candido pectore dominantis proveniebat.

Indefessus in negotijs, otium nescire videbatur. Aut legere, aut scribere, aut audire, aut audiri, vel orare tota fuit Ferdinandi occupatio. Recolebat ingentis beneficij loco, quod Deo dante nulla sibi fatigatio ex continuis pro Republica laboribus

tibus accideret. Inter prandium & cœnam vix horæ quadrantem dabat capiendæ oblectationi cum filijs aut conjuge, publico semper intentus: nulli consilio absens: lassis quoque, qui consultabant, ipse vivacior suggerebat animos, & prosequi occasiones bene merendi paratus eos superabat. Affirmare fuit solitus, trium sibi exercitatione occupationum nullam unquam molestiam creari; nempè divinarum rerum usu, consiliorum assistentiâ, ac venatione. Cum incredibili temporis & animi impensa distinctè ac solus evolvebat quotidie oblatos undecunque libellos supplices, quos necesse fuit quamplurimos esse ex munere Imperatorio. Perlectos suâ manu conscribebat, expediebatque suis quoque à tribunalibus expendendos. Constabat autem, quàm accuratè singula prælegisset: quando tabellarijs super negotia postea referentibus, & oblivione quædam prætereuntibus, ipse de memoria, quam felicem & mirandam habuit, admonebat rerum aliter in libellis porrectis observandarum, & definiendarum. Ubi dies defecerat evolvendis libellis, impendebat noctem. Aliquando â cœna surgens fascem litterarum benè magnum manu extulit, negavitque se accubiturum; donec perlegisset, ordinassetque de singulis. In ætate devexa parem juveni alacritatem ad negotia contulit. Admonitus ne supra vires animum intenderet, atque ut causas minoris momenti committeret alijs: respondit: non ideo se ad-

motum esse gubernaculo ut acquiescat, sed ut laboret: nec Principem oportere de sua incolumitate solicitum esse, cui procuranda Reipublicæ salus fuerit commissa: expedire, ut neglector sit sui Princeps commodi priùs, quàm muneris publici. In mortem usque non laboravit ex tædio occupationum. Ipso, quo ultimùm decubuit, morbo, ac die, complura, quæ scripto porrecta supererant, perlegit, multorum negotiorum dispositionem, multorum decretorum subscriptionem fecit: aliqua seorsim consiliarijs expedienda mandavit; prolixam quoque epistolam Regi filio suâ manu exaravit. Imperatorem non modo stantem, sed & operantem mori oportere, ut aliàs verbo, sic demùm facto comprobavit. Iturus ad venationem providebat accuratè, ne detrimentum negotia caperent. Quare pridie duplicabat operam: expediebat quæ moram non patiebantur: designabat in quibus die postero ministri forent occupandi. Reversus in urbem exigebat factorum seriem: addebat ultimam manum, aut emendabat. Nec inter ferarum saltus â curis domesticis vacabat. Semper duos minimùm consiliarios jubebat comites ire, quibus, si opus foret, uteretur in consultando. Ubi recentiùs nihil expendendum occurrebat, cum ijsdem inter corporis relaxationes de rebus bonum commune aliàs concernentibus tractabat. Facilitas admittendi ad alloquium multum molestiæ creasset, nisi ad id con-
stan-

ſtantiam, & delectationem applicuiſſet. Promptè omnibus dabat affatum, dimiſſo nemine, qui vellet colloqui; etiam ubi feſſus, aut minus neceſſaria proponerentur. Aliquando poſt plures horas alloquij, verſus ad palatinum adſtantem: ſine moleſtia, inquit, audio ſingulos, & tantò quemque libentiùs, quantò publica magis, quàm privata adduxit: longè moleſtiùs accidit, ſi, quamvis exigua, obiter; quemadmodum ſi ea quæ majoris ſunt momenti non diffuſiùs narrentur.

Humanitatem Ferdinandi, & Benignitatem ipſi hoſtes obſtupeſcebant. Ibant ab hoſtili exercitu Viennam frequentes, ut affabilitate Cæſaris oculos paſcerent, & caperent alloquio experimentum. Nemo colloquebatur Cæſari qui cum benigniſſimi Principis laudatione non recederet. Elector Colonienſis aiebat: rapi hominum animos & corda â Ferdinando. Erigebat trepidos, ſerenabat perturbatos, conſolabatur afflictos, neminem diſcedere à ſe patiebatur triſtiorem. Divulgatus fuerat rumor venturum Ferdinandum in Styriam, ac ſuperioris Auſtriæ partes, ubi non multò ante conjuratione ſæviſſimâ populus ſeceſſerat à Principe. Ab omni parte fuit illicò confluxus hominum ingens: viſaque ab actione, geſtu, atque oculis Ferdinandi aſpirante in omnes gratia, & benignitate, rapti in teneritudinem affectûs reciproci, affirmabant; ſi, vel ſemel antea Cæſarem vidiſſent, nunquam ſe motibus præteritis

tis auferri, aut implicari velle ausos fuisse. Patebat singulis ad alloquium indefessus: horas integras & complures sereno, atque hilari vultu solitus producere inter audiendum. Imò finitis propositionibus curarum privatarum sæpè detinebat supplices, & digressus ad inquirendum de patria conditione, familiâ singulorum ampliùs suâ humanitate, quàm postulassent, complectebatur. Credebatur cum subditis, ceu cum filijs colloqui ut Pater, eâ in cunctos affabilitate & moderatione ferebatur. Ubi vires corporis suppetebant, colloquebatur succinctus gladio, aut acclinis mensulæ: ubi vires defecerant sedenti sibi assidere colloquentem jubebat, præsertim si Confessarius, aut ex ordine sacerdotali quispiam accessisset. Cùm Ecclesiasticus, aut vir nobilis, famâ notus, aut visu, seu in Aula, seu alibi se præsentaret, occurrebat Cæsar hospiti, prætendebat manum, & civilissima cum amabilitate consalutabat. Moris est, ut Cæsarem in urbem adventantem, loci senatus sub umbella ad Ecclesiam, aut Palatium deducat. Hic totum se ad benevolentiam componebat Ferdinandus. Per decursum viæ exquirebat ab his, quis civitatis status, quæ conditio civium, quæ dispositio & necessitas publicæ rei. Intellectâ ægritudine ministri, aut alterius de familiaribus, quotidie qui inviserent ægrum, atque se de convalescentia edocerent, submittebat: si periculum gravius imminebat, expediebat Aulæ medicos

dicos ac sollicitè eisdem curam infirmi commendabat. Nec modò aulæ proximos, sed & à comitatu remotiores hâc solicitudine complectebatur. Cardinali Pazmanno Archiepiscopo Strigoniensi, Nicolao Esterhasio Hungariæ Palatino alijsque compluribus simili officio occurrerat. Non ingenerabat tamen contemptum in subditorum animis ista facilitas; quinimo ad pretium tantæ virtutis accrescebat amor universorum. Non supprimebat majestatem demissio, sed demissionem majestas erigebat. Qui abuti benignitate poterant, à majestate coërcerbantur. Orator Tartarorum ad præsentiam Ferdinandi obmutuit. Causam rogatus ab interprete: fassus est Majestatem Cæsaris libertati dicendi quam attulerat, compedes injecisse.

Constans fama est, nullum Romano Imperio liberaliorem Ferdinando Principem præfuisse. Immensi operis foret largitiones enumerare. Ajebat nonnemo è palatinis: prodigium fore; si vel umbra in Ferdinando aliqua iracundiæ, aut avaritiæ se proderet. Erat supra fidem humanam patiens, supra temperamentum munificus. Nec benè faciendi saturitatem quantâlibet munificentiâ consequebatur. Affirmavit sæpiùs: cupere se ut auri copiosa ac nova fodina sibi à DEO detegeretur per Provincias hæreditarias: Eam non equidem opibus accumulandis, sed erogandis in egentes se impensurum. Liberalitatis ac munificentiæ

potius propugnandæ inter eas, quæ tum erant, rerum angustias, quàm ostentandæ argumentum semper dedit. Profusus fuit in ædes sacras & Clerum; liberalis in militem, ac duces; munificus in Palatinos: his ditiones ac Principatus contulit, in illos etiam prodigum penè se gessit.

Ecclesiasticis ac Religiosis cœtibus prospexit paterno semper affectu: his authoritatem & commoda in quamplurimis servavit & auxit. Clero Ecclesias ac beneficia per Bohemiam Austriamq; propè innumera restituit, quæ hæreticorum manibus per anteactos motus invasa tenebantur. Huic operi labores, impensas, & pericula quamplurima addixit. Cathedrales & Collegiatas Ecclesias redditibus locupletavit; è quibus Viennensem Episcopatum Principis Imperij honore decoravit. Quatuor per Bohemiam Cathedrales erexit, Archiepiscopatum Pragensem annuis redditibus amplissimis ditavit. Damna per Bohemiam ab Hussitarum factione Clero illata munificè compensavit: Primatem Hungariæ liberum fecit â pensione Neo-castro quotannis viginti millium florenorum procuranda aggravatum. Eidem quadragesimam octavam auri & argenti portionem ex fodinis Ungariæ assignavit; Reddidit pristinum Sancti Regis Stephani in Metropolitanam favorem, ex injuriâ temporum diminutum. Remisit quadraginta millium florenorum exactiones annuas ab Ecclesiastico per Austriam statu an-

annuatim Principi reſervatas: noluit Epiſcoporum ac Prælatorum decedentium in ditionibus Hungariæ & Auſtriæ uſurpata ab anteceſſoribus ſpolia attingere; mandavitque omnia ſucceſſoribus in dignitate, ac Præſulatu conſervari. Immenſum foret referre expenſas in reparationem templorum, ſuſtentationem ſacerdotum, particularium Eccleſiarum ſubſidia, potiſſimùm verò in Religioſorum ac piorum locorum fundationes liberaliſſimè & benevolentiſſimè erogatas.

Ut erat ipſe eruditiſſimus in multiplici ſcientia, ita literarum amantes, ac viros doctos apprimè diligebat. His honores, ac dignitates, Eccleſiaſticas, ac civiles decernebat. Maximè profuſus in eos, qui virtutem ſcientiæ, bonos mores bonis artibus ſociabant. Geſtiebat audire Principum, ac Procerum filios ſtudio liberalium Artium deditos vivere: quos ut ampliùs ad proſequenda benè cœpta incitaret, diſputantes è Philoſophia, aut Gradui Univerſitatum promerito admotos, publicis honoribus proſequebatur, decernendo aut torques aureos, aut claves Regij cubiculi, aut inſignes alias dignitates, ac prærogativas, quas ſubinde, etiam à conferentibus Filijs Imperatorijs capeſſebant. In muneribus publicis diſtribuendis, etiam ijs, quæ Viris principibus cæteroquin competebant, præferebat inſignitos gradibus literarijs, aut eruditos in ſcientijs, præ alijs ætate, aut meritorum ſerie inclytis, prætendentibus di-

gnitatem. Per Imperium, & regna, ac Provincias hæreditarias fundavit Gymnasia, ac studia publica: Universitates temporum vicissitudine attritas restituit: quasdam à fundamentis erexit: alias firmavit, ornavitque. Collegia ac Seminaria in virtute ac doctrina instituendæ juventuti, juvandisque conditionis minus amplæ adolescentibus in spem ingeniorum, atque utilitatis publicæ complura condidit. Exempla sunt amplissimæ Domus in eum finem collocatæ, Viennæ in Austria, Pragæ in Bohemia, Græcij in Styria, Clagenfurti in Carinthia, Olomutij in Moravia, Tyrnaviæ in Hungaria. Pro lautioris aliàs fortunæ juventute, sive ad clerum erudienda, sive ad ediscendas liberales artes educanda, addidit prædictis locupletes convictorum domos Viennæ, Olomutij, Pragæ, Tyrnaviæ, Goritiæ, & in alijs civitatibus. Pro Scotis alibi, ac Hibernis cogitavit; nisi consilia malignitas temporum intervertisset. Ne verò deessent scholæ hominibus, aut homines scholis, pari curâ providit, ne hæreticorum prava institutio aliorsum juventutem derivaret. Plura horum conventicula extirpavit: alia ad meliorem frugem revocavit. Celebre Gymnasium, quod Græcij sumptibus Provinciæ per hæreticos gubernabatur, abolevit omnino; inductis in locum, sacro Virginum D. Claræ Cænobio dicatum, Monialibus.

Filios Archiduces attenta cum solicitudine ac disci-

disciplina fecit educari. Nec præfectum illis, nec familiam constituit, quam non præscisset in bona fama & studio virtutis, ac Religionis excellere. Institutioni eorum privatæ in artibus liberalibus, ac conscientia Patrem de Societate JEsu delegit. Proficere illos voluit in virtute potissimùm, ac doctrina; atque experimentum diligentiæ in utroque genere ipse captabat. Ubi Ferdinandus filius, postea Imperator: ad argumentandum, aut tutandas Philosophicas conclusiones erat processurus, & ipse cum voluptate aderat, & de Proceribus, ut nonnulli adessent, curabat. Constitutos in ætate annorum decem & octo, admovebat consilijs, primùm ut audirent, postea etiam ut pronunciarent; ita aptatos sensim præparabat Reip: In filias curam, & amorem non absimilem gessit. Assistere illis nequaquam patiebatur, nisi decentissimi moris matronas, virgines virtute omnigenâ conspicuas, familiares vitæ inculpatæ. Fama erat, Serenissimas Proles non modò cum lacte virtutem imbibisse, sed transcriptam per lineamenta Ferdinandi accepisse. Ut rectè agerent, nec correptione erat opus, nec severitate. Reverentissimæ in Parentes, Dei loco cultos ferebantur, quos æquè in se benevolos, & indulgentes experiebantur. Ubi Ferdinandus, postea cognomento III. Regium diadema susceperat, fratris loco à Cæsare cultus fuit. Absolutam illi gubernationem concessit in regna, ac Provincias,
 qui-

quibus semel præfecerat: nec rigidè censere solitus, nec examinare importunè, quæ constitueret. Justitiam, ut cæteras virtutes apprimè coluit. Huius erat vindex eximius semper, quamvis admisceret clementiam. Jus suum cuique esse constanter, ac fortiter voluit. In ferenda sententia æquissimus, nec movebatur cognatione reorum, nec flectebatur auctoritate. Non absterrebatur partium potentiâ; non epijkeiâ emolliebatur, non emolumentorum propriorum curæ succumbebat. Recti tenax eò flectebat animum, quò amussim Themis. Pro Feudo impetrando ab Italia opulentus Princeps venerat. Admissus ad Cæsaris familiaritatem ob ingenuos mores, credebatur è voto lucraturus sententiam. At ventilatâ causâ pro adversa parte definivit Ferdinandus. Stupuit aula æquè dissimulationem amicitiæ, ut sinceritatem sententiæ. Quæsitus, quâ ratione imposterum culturus foret Principem? Respondit, hac primùm, ut latam ex me sententiam pacatus audiat. Malè, inquiebat, mecum ageretur, si amicitia me ab æquo averteret. Et malè cum illo, si interpretaretur ex observato rigore Justitiæ, infringi posse, cursum benevolentiæ. Tumultu ad Rakerspurgum Styriæ exorto vitam amiserat Georgius Baraffius Baro Hungarus. Cædis authorem credebant Gubernatorem loci. Quare ad vindictam solicitati Hungari primùm incendio locum aggressi: deinde ignibus

uni-

universam Styriam vastare comminati sunt. Consulebant Ferdinando Proceres, ut extinguendo igni, qui per animos acriùs, quam in tecta gliscebat, caput gubernatoris impenderet. Absit, inquit, æquissimus Princeps, ut immeritum plectam: non pericula, non minæ extorquebunt, ut injuriam cuiquam irrogem: satius est flammis Provinciam, me, conjugemque, ac filios involvi, quàm æquitati me deesse. Admodum circumspectè causas criminales expediebat. Mandabat, ut Judices attentè rem expenderent, ponderarent adjuncta, processum iteratò ac sæpius decurrerent, tùm precibus per religiosas Domos indictis veritati statuendæ lumen è cœlo postulabat. Latam Ratisbonæ ex jure militari adversus Fridlandi complices sententiam ad suum tribunal revocavit. Ter, & amplius causam recognovit ipse, reviditque per suos, tùm proprijs, adscitisque sacrorum hominum precibus, ne errori obnoxius definiret, apud Deum supplicavit. Ferendis eiusmodi sententijs in facto usurpabat adagium: *festina lentè.* Ubi autem nec publicæ rei, nec privatæ cuiusquam intererat, acorem Justitiæ attemperabat dulcore clementiæ. Pœnas delinquentium, aut moderabatur, aut minuebat. In aliis partem supplicij, in alijs qualitatem, locum, aut tempus immutabat, in alijs totum condonabat. Quod sufficiebat æquitati, si unus plecteretur, non ampliabat in plures. Non patiebatur reorum in cri-

mine læsæ majestatis progeniem delicta majorum luere. Non vindicabat parentum, vel fratrum injurias in filijs, & consanguineis. Ubi modus non erat ignoscendi, non omittebat cæteram stirpem consolari: affirmabat, nequaquam fore propudio sobolis iniquitatem paternam: acturum se vicem progenitorum promittebat, & nisi demererentur, capturos experimentum Clementiæ.

Fortitudinis exempla illustria non prosequar multis. Præstitit illius â juventute documenta eximia. Assuetus exercitationibus militaribus â prima ætate, hastiludia, ac torneamenta amavit. Peritiâ armorum quorumvis victor inter acclamationes, & plausus ab orchestra semper redibat. Animi verò fortitudine claruit incredibili; quam patientiæ, atque in adversis tolerantiæ maxima portio coronavit. Inter injurias ab Hæreticis innumeras invictus stetit. Sustinuit adversarios impudentes quàm maximè; qui longissimè impares augustæ dignitati furere nihilominus audebant in Ferdinandum. Opprobria sanguinarii, proditoris, sicarii, cæterorumque vilissimorum agnominum, nec indignatus audivit. Græcii in conventu Procerum Provincialium Anno 1599. prorupêre factionis Hæreticæ Principes in apertam fidei Catholicæ, quam pro viribus propugnabat Ferdinandus, impugnationem: malleum durissimum Conscientiarum Archiducem appellantes. E cæteris vehementior fuit, qui constitutus pro

reliquis fuerat orator. Hic furiosissimè inverecundus, & temerè mordax, ea cum insolentia invectus est in Ferdinandum; ut ipsi, quorum nomine causam agebat, verecundarentur de insolentia. Audivit hominem patientissimè Princeps, & dissimulato leone, quem spirare de pectore poterat, agni mansuetudinem præsetulit: In id unicum stetit intentus, ut discussis ab animo quibuscunque calumniis obsistentibus, urgeret propositum Religionis instaurandæ, quod mente sedebat. Erat Germania pertinaci complurium annorum martis turbine agitata. Inter arma neque calami otiabantur, tantò effecaciores, quantò magis impunè, in Cæsareum quoque nomen grassabantur. Poterát Ferdinandus inquirere in authores, poterat imperare, ut scriptorum opposito cuneo, improba famosorum acies discuteretur, poterat elidere multis artibus fabulas, ac mendacia canino dente in augustam dignitatem impacta. Maluit tamen invictâ tolerantiâ vincere impudentiam; cùm quidquid scriberetur ab hostibus, cederet in commendationem bonæ causæ, nempe Religionis â Ferdinando defensæ. Ex prædictis nonnemo grandior, & ipse opibus, ac honoribus cultus antea â Cæsare, ad maledicentiæ virus, addiderat scelus ingratitudinis. Urgebat in loco Catholico, ut liber plurimùm injurius authoritati Imperatoriæ, scriptus animo magis heterodoxo, quàm catholico, quem men-

 tieba.

tiebatur, typo vulgaretur. Delatus ad Cæsarem, meritusque pœnas atroces, homo ingratissimus, beneficam etiamnum Cæsaris patientiam expertus fuit, neque aliud imperatum, quàm ut libri editio prohiberetur. Erat Viennæ condemnatus ad mortem, multiplici prius supplicio exercendus: ex cæteris unum decernebatur, ut linguam ferro resecandam præberet, eò quod contumeliosè in Cæsarem fuisset locutus. Perlatâ ad Ferdinandum de more sententiâ lineam subduxit linguicidio, vetuitque offensæ in se mentionem fieri. Negligens, remissumque obsequium, quod interdum præstabant aulici, aliis indignantibus ipse patiens ferebat, aut hilari vultu amabilem ex aliena desidia jocum captabat. Venerat Pragam, ex itinere, cùm ad cœnam accubituro, ocreis sublatis defuêre calcei, crepidæve, quas indueret. Meritò cunctis increpantibus ejus incuriam, qui providere debebat; Cæsar subridens: cœnabimus, inquit, nec frigus tantum est, cui avertendo sit opus aliis calceamentis.

Constantia, & animi generositas tanta fuit in Ferdinando, ut quamvis nonnemo diceret; vix alium in mundo Principum æquè scopum fortunæ fuisse; tamen imperturbatus ad omnia, & invictus persisteret. Quam vitæ partem â molestia liberam tenuit? quem dominatum adiit, obtinuitvè, cui defuerit adversatio? quoties aut administrata perperam arma ultimo involvêre periculo,

culo, aut vis hostium diris implicuit calamitatibus? Non raro accidit deploratam potuisse videri Ferdinandi conditionem. Perstitit tamen ex fiducâ in Deum erectus, & nequaquam fractus casibus. Observabant Consiliarij parem in vultu serenitatem, tranquillitatis animi indicem, quæcunque infelicium eventuum nuncia adferrentur. Interdum eodem mense iniquæ sortis non uni assultus occurrebant. Alibi prælia infeliciter gesta, alibi commotæ seditiones, alibi capta oppida, & urbes narrabantur. Plaga plagæ superaddita credebatur posse evincere contorsionem vultûs, sensumque fortunæ. At eodem colore se gerebat Cæsar, ut ad singula, sic ad universa constans. Anno 1616. quindecim dierum spatio succedentibus continuò sibi tabellarijs allata fuit primùm mors Maximiliani Ernesti fratris Archiducis, tùm Mariæ Annæ ducissæ Bavariæ, sponsæque lectissimæ obitus; Mox Gradiscæ Venetorum armis obsessæ fama; demum P. Villerij, qui Ferdinando erat â Confessionibus, superiorum voluntate in negotio Religionis missi, inde cum reverteretur, ad Veronam ab hostibus detenti. Excepit iterata adversa neutiquam consternatus, deditque imbellibus documentum plura indies, si occurrerent, â Divina providentia capiendi patienter experimenta. Duos primogenitos, primas parentum Delicias, vixdum natos, illicò extinctos siccis oculis vidit. Quòd tamen sacro re-

gene-

generationis lavacro essent abluti lætabatur: & illud magnæ felicitatis loco duxit, auxisse se empyreum gemina innocentium voce, quâ laudes Deo æternùm canerentur. Nec dissimili fronte prosperam, quâ adversam fortunam respiciebat. Nec efferri, nec auferri noverat â feliciore eventu. Ad nuncium victoriæ ad Pragam obtentæ, ex qua fusos ad internecionem hostes, restitutum sibi diadema, & regnum Bohemiæ, ac profligatū æmulum intellexerat, composito vultu adstitit. Illud tamen egit, ut continuò supplicationes per templa indicerentur, gratijs muneratori Deo referendis. Cætera, quæ publicam lætitiam pro merito comitarentur hilaria omnino rejecta. Gabrieli Bethleno Transylvaniæ Principi hæc Ferdinandi ad omnem fortunam constantia formidinem incussit: profecturum se nihil subinferebat adversùs animum, quem nec adversa attererent, nec prospera avolare facerent. Nunciato ad Lutzam obitu Gustavi Adolphi Suecorum Regis, effusa ibat in plausus Aula: alij leoni mortuo etiamnum insultabant: alij confectum bellum gratulabantur: alij timores profligatos lætabantur: At Cæsar sibi semper similis; demissè de nobis sentiamus, inquiebat, Deo committamus ordinationes eventuum. Satis constiterat tam obstinato complurium annorum bello, tanto hostium valore, ac ferocia gesto nihil apertiùs fuisse quæsitum, Domûs Austriacæ ruinâ, atque â solio Imperiali impostèrum

deje-

dejectione; quippe, ne Tertius Secundo succederet. At stabilitâ denuò Electorum votis in Ferdinando filio coronâ Imperiali, populo jam acclamante vitam, ac victoriam inaugurato Romanorum Regi, proceribus æmulorum delusas artes; difflatas puncto tot annorum machinas, accisas spes, quas non modo auri, quàm sanguinis immani profusione lactaverant: universis felicitatem Austriæ, ac potentiam in adversis quoque victricem succlamantibus; quæ quamvis ut hanc atterrerent, omnem penè hactenus Germaniam concussissent, vastis cladibus per arma, famem, ac pestem undique illatis; unus ex omnibus Ferdinandus exundantem lætitiam admiranda moderatione augusti vultûs temperabat; nihil solutioris animi, minùs in hostes injurij professus. Egressus conclavi, quo electio perfecta fuerat, processit ad aram & flexo genu illud ex cantico Simeonis usurpavit: nunc dimittis servuum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum: quod parasti ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israël. Actisque devotissimè Deo gratijs, reliqua de more rituum sacrorum fieri solita est prosecutus. Temperantiam cum comitatu fœderatarum virtutum eximiè semper coluit. Adolescentiæ pulcherrimum esse ornamentum pudicitiam, moribus, dictisque asseruit. Depulit ab obsequio, & aula nobi-

nobilem, qui ausus fuerat offerre commodandam operam in præjudicium honestatis. Ajebat tùm, exosissimos sibi palatinos esse, qui essent veneris mancipia. Etiam Rex, & Imperator admissurus fœminam ad alloquium, cujuscunque conditionis ea foret, non sustinebat unquam cum sola colloqui: adesse volebat aut conjugem, aut alium quemque actionum testem. In publico nemo ab aulicis incomitatum vidit. Matrimonium inijt virgo. Viduus sexennio in flore ætatis, & calore annorum triginta sex, & occasionum abundantiâ continentissimus vixit. Fidem conjungalem illibatissimam servavit. Affirmavit Imperatrix, ream se delicti fore, si vel suspicaretur Ferdinandum sinistrè agere, etiam cum adolescentula accumbentem: Certitudinem de Cæsaris innocentia majorem sibi esse quâvis suspicione in oppositum declinante. Procul ab ore, procul ab auribus omnis illi lascivia; procul inconcinna, aut inhonesta dicacitas, quam nec sustinebat coram se ab alijs pronunciari. Ubi contigit ludis theatricis interesse, præmonebat actores, ne decentiæ in sermone, & gestu obliviscerentur: scirent sibi agendam fabulam in præsentia Cæsaris, qui verecundiæ, ac decori Patronus esset: non abiturum impunè, qui temeraret turpiore scena Majestatem integerrimam. Nihil habebat proclivius, quàm implacabili odio aversari hominem, quem intelligeret implicatum vitijs carnis; non

patro-

patrocinabatur reo nobilitas, non Reip: moderandæ peritia. Princeps notæ non vulgaris de hujusmodi delicto sibi conscius, solum vertere exul maluit, quàm iram, indignationemque casti Cæsaris experiri. Adhuc in viridi sunt leges superstites, quas incestibus, adulterijs, cæterisque nefarijs voluptatibus plectendis tulit. Cæterà ad pœnas reorum moderandas facilis, crimini luxuriæ puniendo severior semper incubuit. Sensuum, oculorumque imprimis custodiæ constans vacavit. Pepigisse fœdus cum oculis suis credebatur, ut ne cogitaret quidem de virgine. Observarunt palatini nullam fœminarum intentiore oculo â Ferdinando usquam conspectam. Vitæ abstinentissimæ â voluptatibus fuit. Morem usitatum in aula, & conclavi regio odorum, ac suffimenti pretiosioris in luxum, ac delicias procurandi, omnino prohibuit. Peregrè profectum præcursores, & cubicularii non sustinebant excipi in odoratis apparatibus, quos secuturæ Majestati instruebant officiosi veneratores. Genium Principis ad illa fastidientem patentibus ostiis, ac fenestris jubebant expectari. Nec ferebat molestè in viliora tuguria quandoque divertere, & aiebat; nihil incommodi â fætoribus creari sibi, qui osor esset delicatioris Arabiæ. Ad mensam vulgaria inferri mandabat, non cibo, aut potu animadversus offendi; quamvis ingratior, viliorisque condimenti præparatus adesset.

Musica

Musicâ super mensam, sanus juxta, atque æger delectabatur; seu genio in eam propensior; seu animo per eam exhilarando, & roborando intentus; seu denique paratior ad audiendum, quàm ad colloquendum. Ampliore cum gustu res sacras decantari audiebat. Somnum definiebat necessitas; ultra septem horas nunquam accubuit. Ultimis annis ab importuna humorum defluxione, & concursu dormitabat interdum frequentiùs; Luctabatur tamen cum somno, plus molestiæ sibi accersens ex pugna, quàm ex sensuum quiete fuisset consecutus. Mandaverat cubiculario aliquando, ut designatâ horâ noctis lumen conclavi inferret, excitaretque â somno. Ratus hic Cæsarem productiori quiete indigere, distulit officium fortè semihorâ. Experrectus Ferdinandus, cognitoque lapsu temporis acriter hominem reprehendit, vetuitque ampliùs attentare factum inconsultæ discretionis: Sciret, negotiis præfinitum tempus minimè indulgeri posse inertiæ. Jam sibi per elapsum diem aliquanto tempore indultam quietem satis intercepisse cursum rerum gerendarum.

Regibus quoque corporis afflictationes voluntarias, non esse disconvenientes exemplo docuit. Habuit in usu frequenti ad carnis macerationem promovendam jejunia constituta: quibus cilicia, & disciplinas, etiamnum hodie sanguine Cæsareo purpuratas adjungebat. Piâ se invidiâ ferri in

eos

eos affirmabat Imperatrici, qui admiſcere ſeſe publicis per urbem pœnitentibus in Hebdomada ſancta poſſunt: ſæpius abs ſe tentatam horum ſocietatem, ſed efficere nequiviſſe, ut lateret. Quovis Divæ Virginis profeſto jejunabat, ſuoque exemplo palatinos omnes ad parem pietatem induxit. Cilicio cingebat latus frequentiſſimè; præſertim cùm ſolutus â conjuge in viduitate ageret. Poſtremis Quadrageſimæ diebus ſeverior in ſe, jejunio afflictationes corporis per flagella, & ciliciorum aſperitatem, vigilias item, & productas orationes, & lectiones piorum librorum conjungebat.

Delectabatur venatione quatuor de cauſis: primùm quia ex medicorum conſilio conſervandæ valetudini & promptitudini ad labores publicos conſequendæ aptam hanc exercitationem credebat. Deinde quia minimum periculi, quod in damnum animæ redundaret, in tali oblectatione videbat. Tertiò, ut aſueſceret tolerandæ aëris incommoditati, injuriiſque temporum, & æſtûs. Quartò, ut palatinos avocaret ab otio domeſtico in campum: ſapientiſſimè aſſerens occaſionem vitiorum naſci ex inerti deſidia, quam in Regum, & Imperatorum aulis otioſi incurrunt. Quare ut aliorum utilitati commodaret, ſuæ quòque oblectationi indulgebat: hanc ſine altera minùs capturus. Interea per luſtra, & ſaltus non decrat officio Imperatorio: audiebat ſupplices, ter-

S minabat

minabat causas, componebat lites, verbo, ac opere afflictos consolabatur. Si fortuitò aper, aliudve ferarum aliquem de turba rusticana, quæ venationi deservit, vulnerasset, deferri illicò in civitatem læsum mandabat, & curationem â chirurgis palatinis admoveri ægro jubebat, ac tandem repositum in pedes, veste & pecunia donabat.

Virtutes autem illæ, quæ politicam, & naturam supereminent; quæque cæterarum in hoc Principe animi dotium origines fuerunt, planè admirationem legentium, ut rapiant, necesse est. Basis universarum fuit heroica fidei Catholicæ professio, & cultus Religionis. Zelo illius proferendæ, & exaltandæ immensó claruit Ferdinandus. Plurimos Prædecessorum Cæsarum, in isto genere gloriosissimorum, vel æquavit, vel vicit, statuitque posteris dignissimum ad imitationem exemplum. Vicesimo ætatis anno gubernationem Provinciarum adiit. Eo ipsó tempore ad Lauretanam ædem peregrinus, ad aram clarissimæ ibi â miraculis Deiparæ votum concepit sectas, sectariosque ministros omnes pellendi â Provinciis hæreditariis Styriæ, Carinthiæ, ac Carnioliæ, esto vita, & sanguis glorioso operi foret impendendus. Quadragesimo tertio anno ætatis diademate Hungariæ, ac Bohemiæ, ac mox Imperii redimitus, DEO similiter vovit ad Cellas Marianas Deiparæ, in finibus Austriæ, ac Styriæ Sacram

ædem

ædem profectus, pari studio, ab heterodoxorum doctrina Bohemiam, annexasque ditiones purgandi. Octennio ante mortem instauravit sacrum propositum nullis laboribus parcendi, nullis occasionibus, sibi de coelo subministratis subtrahendi operam, quoad defensio, & tutela Religionis in Hungaria firmaretur, ad eum ipsum modum, quo olim regnum illud Catholicum, & Apostolicum extiterat, atque à Patrocinio Deiparæ non minus validum, quàm fortunatum. Exinde modis omnibus, atque artibus quoad possibile fuit, advigilavit reponendæ per eas regiones avitæ Religioni. Nec minus constanti efficacia propulit errores circa Divinum cultum è Provinciis hæreditariis, Styria, Carinthia, & Carniolia. Mox falsorum dogmatum præcones exegit à Bohemia, & utraque Austria: Quorum loco sacerdotes Catholicos substituit. Tanto hæc cum animarum profectu gessit, ut absque nota temeritatis affirmari possit, solicitudine, ac cura Cæsaris myriadem hominum ad Ecclesiæ gremium revertisse: proinde, nec immerito Ferdinandum cognominari posse, quin imo debere earum ditionum Apostolum, ac Principis Apostolici honore insigniri. Ut Hungariæ, & Silesiæ pristinam religionem redderet, ea fundamenta jecit, quibus in vestigia consecutus Ferdinandus Tertius Pietatis Paternæ hæres tanta postea addidit incrementa propagati cultus divini. Quantum contentionis, ac studii

profiteretur in erigenda, ac tutanda fide Catholica, voces contestatæ sunt, quas calamo, & ore protulit, æterna commemoratione ac commendatione dignissimæ. Aiebat; potiùs dimissurum se spontè Regnorum ac Provinciarum gubernacula, quàm defore scienter ulli opportunitati veræ Religionis propagandæ. Dicebat; electurum se priùs, cum conjuge, ac filiis scipioni innixum per orbem abire peregrinum, & ostiatim emendicare panem: imò malle, in mille partes discerpi corpore, quàm sustinere ultrà in avitis ditionibus eas injurias in Ecclesiam, & offensas in Deum, quas hactenus Hæretici impiè intulissent.

Agebatur in Silesia de conditionibus ineundæ cum Principibus heterodoxis concordiæ. Negotium conciliationis susceperat Fridlandus armorum pro Cæsare præfectus. Urgebat; uti charam haberet Cæsar tranquillitatem, sic aliquantum remitteret à cura instaurandæ religionis inter homines in sua opinione pertinaces. Sed admonebat solicitè Fridlandum Ferdinandus: ne pacem inter homines procuraturus, negligeret pacem cum Deo constabilitam velle. Prostratus in genua orabat Deiparam, ut si pax concludenda Filio non placeret, aut si præjudicio Religionis foret; dissipatam faceret, & eversam modis omnibus; quidquid exinde calamitatum, ac malorum redundaret in se. Incredibile dictu, quo animi gustu acceperit, cùm Principum quosdam

 abju-

abjuratâ hæresi professos veram fidem intelligeret. Ipse datâ opportunitate dogmata fidei illis exponebat; aut peritissimos rerum divinarum assignabat, á quibus edocerentur veritatem. Hos coram advocabat; admonebat de personarum conditione, cum quibus erant acturi: pandebat viam, quâ conversio expeditiùs instituenda videretur. Revocatos ad veram fidei confessionem lætus, & alacer accipiebat. Exaggerato verborum pondere commendavit Successori filio moriens in tabulis singillatim conscriptis accuratam Religionis Catholicæ tutelam, & conservationem. Spem, Theologicarum virtutum alteram vivâ fide suffultam in tesseram sibi adscivit, scripsitque in labaris consilij, militiæque. Expeditionibus quibusque arduis, ac periculosis fiduciam in Deo, ut vadem secundorum eventuum applicabat. Erat ad Viennam Anno 1619. Henricus Matthæus Turrianus cum Bohemo milite seditioso. Jam ad pomœria processerat. Maior Ferdinando tempestas ab ijs, qui intra urbem conspirâsse cum hoste ferebantur. Bartholomæus Villerius è Societate JESU Regis tùm confessarius fortè aditum in conclave opperiebatur. Indicium Patris facturus cameræ Præfectus reseratâ leniter portâ pulcherrimum omnino spectaculum incurrit; profusum nempe in genua coram crucifixo Ferdinandum. Tandem admissus Pater post moram à Præfecto imperatam; cui Ferdinandus hisce penè verbis: re

 cogita-

cogitabam, inquit, quo in diſcrimine res noſtræ eſſent, domi, foriſque. Volvebam animo deſtinata hoſtium, qui extra mœnia; & conſilia ſectariorum, qui intra urbem. Circumſpectis ſingillatim omnibus cum humana deficere præſidia intelligerem, ad divina me converti. Ut ſolitus ſum ſemper, Deum adoravi, ac dixi: JESU mi Redemptor, & Domine, qui corda univerſorum perſpicis: noſti intimè, quàm meæ gloriæ nihil, tuæ omnia causâ agam. Si tibi gratum eſt Domine, ut me atteras his ærumnis, ut hoſtibus meis me in opprobrium, & internecionem tradas, ecce non detrecto, modo fiat tua voluntas: Ecce promptum me ſervum tuum, ut obediam. Vix orare deſii, cùm fiduciâ me plenum ſenſi, & animum expertus ſum admirandâ tranquillitate ſerenitati priſtinæ reſtitutum. Quare confido DEum ire diſſipatum atroces machinas meorum inimicorum. Speravit Ferdinandus; nec ſpes fefellit. Adfuêre in proximo ſuppetiæ, Repulſi hoſtes, inſidiæ diſcuſſæ, confirmati, qui nutabant, fideles. Vulgatum privatis, publiciſque ſermonibus fuit; Chriſtum de cruce pendentem collocutum fuiſſe Ferdinando, atque in ſpem certæ opis erexiſſe. Ubi primùm innotuerant Cæſari conjuratio, & molimina Fridlandi, unàque in præcipitium res inclinatæ; ſenſit, ut oportuit, horruitque ad inauditam perfidiam. At, ut erat fiduciæ in DEum maximæ, nihil prius egit, quàm ſuppe-

ſuppetias de cœlo implorare. Diſſimulatâ causâ per Religioſas Domos ſupplicationes crebras indixit: voto inſuper concepto Tyrocinii Religioſi pro Societate JEſu ad ædem S. Annæ fundandi, divinam opem ſibi demereri perrexit. Illicò ingenti fiducia bonorum eventuum plenus, poſtero die ſuo Confeſſario dixit: Pater, ſuo tempore me faciat memorem voti die heſterno â me concepti. Obtuli enim DEO impenſas pro Noviriatu Societati Veſtræ Viennæ erigendo, ſi â periculis impendentibus expediar, quemadmodum confido futurum. Mundo notum fuit, quàm prodigiosè rebus propè deſperatis DEus adfuerit, confecto per proprios milites perduelli, priuſquam Ferdinandus plectendo illi manus admoveret. Ratisbonæ acceperat nuncium; copiis, ac viribus inſtructiſſimum Regem Angliæ ſibi bellum apparare. Qui literas attulerat, ſimul quid agendum, rogabat: cui Imperator intento in cœlum vultu, ut aliàs in hujuſmodi caſibus; DEus deſuper advigilat, inquit. Erectiſſimo ad divina ſenſu locutus eſt, cùm Francofurto Græcium redux â ſuſcepto Imperiali diademate complures excelleret, ad Cæſaream Clementiam revertentes, aut effugere promeritum fulmen deſperantes: quippe ad majeſtatem, ac lætitiam ore attemperato: ſæpius, inquit, hæc & majora diſcrimina vidimus: Experimur DEO non deeſſe vires humana conſilia, & artes evertendi, ſuamque Eccle-
 ſiam,

ſiam, ac ſibi fideles protegendi. Nec poſſe hodie, nec velle deſinet: æquè potens, ac bonus etiamnum eſt altiſſimus: ab illo indies auctiora ſpero. Cæſaris fiduciam profundis actam adeo in cœlo radicibus, atque iteratis toties cognitam experimentis attendebant Proceres, milites, ac cives. Quare ubi indictam Religioſi cultûs expeditionem aliquam animadvertebant, communi ferebatur omnium voce: Hodie iterum Ferdinandus millia inimicorum aliquot proſtravit.

Amore in Deum ferebatur ardentiſſimo. Hujus indicium erat ſancta, quâ æſtuabat cupiditas Divinæ gloriæ tutandæ, & promovendæ in terris. Sæpius affirmavit; ex inſito ſibi profundiſſimè deſiderio honoris DEI amplificandi, promptum ſe eſſe fortunis, & coronis exui, â throno abire ad ruſticum mapale, â majeſtate ad anguſtias infimæ egeſtatis, imò offerre ſe morti quantumvis infami, atque atroci. Quando preces ad Deum fundendas ab alijs pro ſe exigebat: non exaggerabat, ut fieri amat, magnitudinem periculi, pro quo avertendo ſupplicaretur; non infortunij molem, quæ eum moleſtia fortè incumbebat; ſed unum id in eventum orationis poſtulari volebat, ut demum illud fieret, quod divinæ gloriæ proferendæ opportuniſſimum foret. Nihil æquè deteſtabatur, atque offenſam DEI. Horrebat ſpeciem omnem delicti, præſertim mortalem, malorum graviſſimum. Non in ſe, non in proximo ſuſtinebat affectum

fectum peccati. Edictis publicis severè invectus est, præsertim in blasphemos, ac perjuros. Qui attentius Ferdinandum observabant; noverant qua alteratione & convulsione animi ipse audiret, sicubi Divinum nomen irreverenter ac contemptim haberi intelligeret. Ad dissimulandas suas injurias facilis; longè severior ad vindicanda in Deum delicta fuit. Christo devotissimus, gestire, atque lætari cummaximè videbatur, ubi solennitatem geri per ædes sacras, ubi ceremoniarum Ecclesiasticarum pompam duci, ubi populi ad conciones concursum fieri, nusquam promptius, quàm ubi Theophoriæ festa celebrari consuevissent. Anno 1630. Styræ, ac Welsij, iterum anno 1636. Laureaci ac Lincij per dies Eucharisticis solennijs dedicatos aliquantisper, dum iter ad dietam Francofurtum susceptam continuaret commoratus, cum ingenti animi voluptate vidit superioris Austriæ populum inter eximia religiosi cultûs indicia confluentem, atque adstanti sibi sacerdoti affirmavit; non potes assequi animo, pater, quâ cordis lætitia perfundar, dum aspicio, ante diem meum supremum, in hoc ipso loco (erat Lincij) ubi non multo ante in Augustissimum corporis Christi Mysterium contumeliosè, atque impiè gesta sunt plurima, unde fons tot errorum in ille, tot rebellionum in statu publico inexhaustus manabat; nunc inspectante me tanta cum pietate, frequentia Procerum, & gentis universæ verum

Deum sincerè coli, atque adorari. Tanta hæc omnia cum animi teneritudine aspicio, ut temperare â lachrymis non possim. Spirabat ab ore hæc dicentis fervor & charitas ad divina incredibilis, atque affectus adeo tener, ut audientis quoque oculos emollierit in profusas lachrymas.

Fructus divini amoris conformatio est cum voluntate Deï. Singularis ea in Ferdinando, ac propè unà illi in rebus omnibus solatio fuit. Dixisse aliquando fertur: Pridem me curæ ac molestiæ confecissent; nisi me, meaque singula Divinæ providentiæ plenè commisissem. Inter continua, & evidentia discrimina, quibus vita, & salus Ferdinandi, totiusque domûs, ac patrimoniorum conflictabatur propè ad exitium, nunquam animo concidit, nunquam in lamenta procurrere auditus est. Ejus vox erat: Fiat voluntas tua mi Deus: ut placuit Deo, sic factum; sit benedictum nomen sanctum illius. Eâdem dicendi formula erigebat, & consolabatur suos quoque, quos afflictos animadvertebat. Vir egregius & militaris, ac magni nominis affirmabat; nullum ex Archiducibus Austriæ post Ferdinandum ad coronæ Imperialis honorem ultrà processurum. Alios per divitias,& virtutes bellicas in fastigium illud fuisse olim provectos: nunc deesse Ferdinando & ærarium, & vires: exhaustum illud per Cæsaris liberalitatem, accisas istas, ex præpotentia hostium. Ita ille coram intimis procerum, ita coram Confessario Ferdinan-

dinandi differebat. Intellecto, ratiocinio Ferdinandus reposuit modestissimè; sua rebus omnibus est periodus; oriuntur, & occidunt. Fieri potest, ut imperium in Domo Austriaca, sublato me, desinat. Si ita Deo videtur, non modo non obsisto, sed ne quidem contristor. Dividit ille pro bona sua voluntare, ac rursum aufert regna, & imperia. Non vacat de opibus ac robore esse solicitum, quando ad placitum divinum dantur, & vertuntur gubernacula. Rudolphus I. audijt Imperator etiam tùm, cùm armis, & auro longè impari foret instructus, quibus per DEI misericordiam amplius nunc Archiduces Austriæ se locupletatos, & succinctos experiuntur.

Referebant anxiè palatini: quibus indies calamitatibus Imperium quateretur: bella seri ex bellis: periculo uni incumbere in vestigia alterum: thesauros spirare; expirare vires. At Imperator religiosissimus: Quod officij nostri, quod muneris est, nos agamus: cætera Divinæ Providentiæ committamus: Illius voluntas habeatur pro nostra: Solicitè ante omnia curemus; ut cæli ac beatitudinis æternæ præmia consequamur; Deus universa disponet quàm optimè. Hisce cogitationibus Ferdinandus & adversa ferebat fortiter, & prospera capiebat modestè. Illustre documentum sit, quod anno 1616 edidit. Nunciabatur ex Bohemia Maximilianum Archiducem, & Matthiam Cæsaris antea Rudolphi II. fratres plurimùm

mùm satagere rerum Ferdinandi. Quinimò Cæsarem Matthiam constituisse non abire ab urbe Pragensi, donec sibi adoptatus in filium, atque institutus in Provinciarum, ac Regnorum hæredem pronunciaretur Ferdinandus: Accepto nuncio Rectorem Collegij Societatis Jesu Græcij evocat Archidux, mandatque, ut precibus domesticorum commendet susceptum negotium: neque tamen, ut alius orationi scopus præponatur; quàm ut impetretur à Deo, sanctissimæ illius voluntatis, quæcunque placuisset, executio. Addidit cedro dignas voces: Pater, absit verbo vanitas, & arrogantia. Quotidiè manè sic DEUM oro: Domine DEUS, si est ad majorem laudem & gloriam tuam, & salutem animæ meæ, ut major sim eo, quod sum; exalta me; & glorificabo te: Quodsi ad majorem laudem & gloriam tuam, ac salutem animæ meæ est, ut humilier ad infimam depressionem meam; deprime me, & glorificabo te. Amor proximi amorem divinum subsequebatur. Nemo Principum fuit subditorum suorum amantior Ferdinando, nemo in juvandis illis operosior. Sermo inciderat de calidiore conatu, quem reformandis ad frugem provincijs impendebat. Et ipse: errant, inquit, Acatholici, qui adversarium me sibi existimant, dum regionem â sectarijs expurgo. Non odi, sed amo: nisi amarem, omitterem ista, & tenebris suis insepultos dimitterem. DEUM testem invoco: me amo-

amore singulorum neque vitæ parsurum: si morte mea ab erroribus universos vendicare possem, absque mora cervicem accipiendæ securi inflecterem. De proximo sinistrè loqui non auditus est unquam. Detrahentes alieno nomini vultu ad severitatem composito compescebat. Non patiebatur quemquam opinione bonâ excidere. Vivis æquè ac mortuis quoad famam consulebat. Non sustinebat demortuos de ijs quoque vitiis coargui de quibus cùm viverent, reprehensos esse constabat. Supplicio temporali affectos desiderabat pœnis subtrahi æternis: quare solicitus inquirebat; num divinæ se voluntati conformaverint; nùm decedere in gratia studuerint. Afficiebatur tenera cum pietate erga animas in igne purgatorio detentas. Audito obitu viri illustrioris, aut prælio alicubi per suos gesto, statim sacrificia, & suffragia fieri imperabat pro Catholicis militibus per eam occasionem sublatis è vita: ipseque auctis devotionibus in eundem finem DEO supplicabat. Habebat catalogum defunctorum, quorum in precibus erat quotidie memor. In eo conscribebantur Pontifices, Imperatores, & Reges, qui diem Christianè sua ætate obierant. Item eorum, qui sibi fuerant â consilijs, aut sacris confessionibus: nec eorum erat immemor, qui etiamnum in ijsdem obsequijs vitam agebant; quodque memorandum magis, Religiosorum hominum quorundam, quorum consuetudine de-

lecta-

lectabatur, aut quibus charum se esse experiebatur.

Amor proximi non excludebat charitatem; quam Ferdinandus explicabat in adversarios, & hostes. Erat miraculo par actio, cùm eo ipso tempore quo domi, ac foris atrocissima gliscebat conjuratio, ipse nihilominus affirmaret, neminem in mundo esse, cui malè cuperet. Plurimis in caput Ferdinandi conjurantibus, ipse in omnes benevolentissimus perseverabat. Ex acerrimis hostibus bellum movebat Gustavus Rex Sueciæ. De hoc narrabant palatini: quâ industria aciem ad Lipsiam ordinaverit, quo astu pugnaverit, quâ ratione cæsus Tillius, ac non multo post tempore ex vulnere mortuus. Subjunxit Cæsar: Gustavus Rex est inclytus, & Dux illustris; doleo, quod causæ patrocinetur iniquæ. Ita meritum gloriæ nec inimicis invidebat. Damna increbrescebant Provincijs ex diutino bello, ac multiplicatis seditionibus. Has quibusdam compescere facillimum videbatur, si molitionum capita, quæ pauca erant, resecarentur. Itaque fuit ex Ministrorum numero, qui ad exscindendas has radices se offerebat; unà postulans, ut si in expeditione pro Cæsare suscepta occumberet, Cæsar conjugi, ac filiis imposterum pro se provideret. At renunciari Ferdinandus jussit: cogitata hæc nec hominis Christiani, nec Imperatoris esse: palam se curaturum, ut æquitas armis vindi-

vindicetur: euentus secuturos abs se DEO committi, ut consueverat semper. Accesserat ad aulam Capitaneus vir nobilis, qui in corona procerum gloriabatur, quod jactu bombardæ trajecerit brachium campiductori partis adversæ. Aberrasse illum â scopo dicebant alij, qui dimisso brachio rectiùs cor adversarii impulisset: At Ferdinandus nòn sine sensu: quâ fronte, inquit, licet tibi exultare de damno illato tuo proximo? Huc pertinet admiranda Cæsaris clementia, quâ facillimus in hostes, veniam dabat promptissimè deprecantibus. Usus fuit lenitate maxima non in plebeios modo, sed & in Principes, atque etiam turbarum, ac molitionum authores. Identidem profitebatur; odisse se neminem; cupere verò omnes, ut tandem resipiscant. Anhaltinum Principem, hostem antea, & benevolè recepit in gratiam, & honoribus auxit. Nuper ille Friderici Pseudo-Regis sectator; mox restitutus Cæsari, admotus etiam mensæ Imperatoriæ, cum Cæsare accubuit stupentibus, ne indignantibus dicam aulicis. Friderico usurpatori Regni Bohemici iniquo, ac coronæ Regiæ prædoni, veniam ultrò obtulit; si modò à perduellione desisteret, neque se Regis Sueciæ armis conjungeret; quæ etiam inobsequentem perdiderunt. Carolo Friderici filio parem gratiam, quam si sapienter agere vellet posset consequi, monstravit: at inconsultum Juvenem aliò fata damno suo

no suo abstulerunt. Quos in fidem receperat; eo affectu complectebatur, ut ne memoriam quidem præteritarum injuriarum præseferret. Pluribus pristinos honores restituit: alios auctioribus locupletavit. Fuêre omninò qui tantam Clementiæ virtutem, excessûs ac vitii loco habuerint. Imò vulgatum sermonibus publicis circumferebatur: quod præstet injurium esse in Principes Austriacos, quorum postea gratiam denuò prenses, quam vivere inoffensis illis. Ad hæc quod meliore apud eos loco sint, qui quondam adversabantur; quàm qui semper coluerunt.

Dilectionem inimicorum, favor in egentes excepit. Suaserat nonnemo Procerum; ut expeditionem libellorum, quæ causas pauperum, & sortis hominum infimæ concernerent; demandaret alteri, cui fideret; ipse dimissa solicitudine, ac molestia vulgi animum reservaret grandioribus curis & momentis. Quinimò, inquiebat, Ferdinandus; delector causis pauperum expediendis; neque molestiam sentio. Huic operi potissimùm agendo electum me esse credo, & deputatum. Alteri idem suggerenti respondit: expeditione memorialium & cognitionibus hiscè causarum cœlum promeremur; neque scio, an æquè curis grandioribus. Audierat sub annum 1633. non suppetere passim Advocatos, qui causas personarum miserabilium sustentarent, defectu lucri, & compensæ, quam â pauperibus desperant Patroni.

troni. Illicò sibi proposuit confectis bellis, quæ ærarium hactenus exhauserant, constituere per civitates, & oppida insigniora de redditibus suis stipendia, quibus definito numero alerentur Advocati, quorum curæ, ac diligentiæ defensio & juvamen egentiorum, præcipuè viduarum, ac pupillorum imposterum committatur. Attentus subsidio infirmorum, & captivorum redemptioni, illis Xenodochia aut fundavit aut ditavit; his Eleemosynas amplissimas designavit. Mandavit Adolpho Michaeli Comiti ab Althan viro exaggeratissimæ semper virtutis, qui redimendorum ex captivitate Turcica captivorum solicitudinem susceperat, ut in eum finem ab officio, ac munere quolibet, quorum per regna, & provincias innumera sunt, triginta tres aureos Hungaricos, exigeret; ut numerosum, sic opportunum planè afflictis futurum subsidium. Quoties Palatio egrediebatur, concurrebant ad impetrandam stipem egentes, quam sæpè manibus propriis Ferdinandus gaudens erogabat. Dignissimum religiosi Principis edebat spectaculum, cùm aut in Bohemiam, aut Imperium proficiscens catervas pauperũ prænuncia fama exciret, & ipse nec declinans, nec dedignatus vilis plebeculæ concursum affectu compassionis singulos, & profusa liberalitate donaret. Sabbato, qui in quadragesima à sepultura Domini sanctus dicitur, solebat propositam per Ecclesias Eucharistiam devotè visitare, &

re: & plerumque viginti templa obibat pedes, accursum mendicabulorum undique confluentem non passus sine solatio eleemosynæ dimitti. Etiam ubi per venationum occasiones alicubi diem, noctemve erat acturus, aderant sæpe opportuni, & importuni rogatores: dissuadebant etiam viæ comites subire tuguria, aut immisceri mapalibus, quò illa fæx confluxisset, facilè morbosum contagium timeri: at Cæsar non pertimescebat quidquam, asserens, abesse Deum ab Deo loco non posse, quò pauperes divertissent. Suaserat ministrorum nonnemo, ut certum de comitatu dimitteret, causatus, non videri opus ejus hominis in aula sustinendi. At Cæsar: quis scit, an aliquando necesse habeat auxilio nostro, an vero etiam omninò nunc operâ nostrâ non indigeat. Nondum salutatus Imperator, nec translato è Styria in Austriam palatio solebat Græcii frequentiùs ad Xenodochium divertere, ac miseris deservire ad mensam. Plerique insigniorum aulicorum immixti Patribus Societatis dapes inferebant, ipse manibus admotis eas dispertiebat, ac dividebat accumbentibus, atque etiam infirmioribus admotas ori ingerebat. Inter prandendum nunc huic, nunc illi applicitus colloquebatur familiariter; de ægritudinis vi, ac tractu inquirebat; solabatur omnes, atque ad virtutes huic statui competentes patientiæ, pietatis, resignationis in divinam voluntatem erigebat. Dominicis,
quando-

quandoque diebus ad exemplum religiosissimæ, piissimæque suæ matris curabat de platea, ac trivio advocari mendicos: atque hos simili cum affectu, atque aliàs in nosocomio, faciebat mensæ accumbere, deserviebat assidentibus, & inter obsequia regiæ matris, conjugis, ac filiorum, item religiosa Patrum de Societate ministrantium colebat. Nec deerat unquam consuetudini Christianorum Principum, quin die Jovis Sanctioris hebdomadæ egentiorum duodecim pedes exemplo Servatoris Christi, demissus coram illis in genua, ablueret.

Suavissimo cum benevolentiæ affectu ferebatur in sanguine junctos: Opportunè semper horum utilitatibus, ac placitis secundabat. Ubi contigit mutatis rerum circumstantijs compelli Ferdinandum ab eorum consuetudine dividi, paciscebatur, ut in signum mutui, constantisque amoris saltem annuatim, aut biennio se reviserent semel si frequentiùs non liceret. Summo cum amore, teneritudine, & reverentia parentes coluit. Nunquam voluit induci, ut à norma, ac modo deliberandi de momentis gravioribus, quem à Carolo Patre didicerat, recederet. Suggerentibus alias formas, reponebat constanter: sic me procedere convenit: debeo istud honoratissimæ memoriæ amantissimi, ac prudentissimi mei Progenitoris. Quæ à Patre per ultimam voluntatem acceperat exequenda, non modo ipse accuratè redegit in

opus, sed & similiter continuanda suis hæredibus commisit. Addidit suo codicillo sequentes clausulas: Quia Carolus Archidux, beatæ memoriæ, dilectissimus progenitor noster, ac Dominus, in ultimis tabulis, ac suprema sua voluntate complura præcepta salubria dictavit, quibus filios nos, ac hæredes oporteret esse instructos ad conservandam, & amplificandam Religionem Catholicam conformiter ad exempla gloriosissimorum nostrorum majorum, præsertim Ferdinandi Primi: eas instructiones volumus in præsenti codicillo haberi pro expressis, & innovatis; & mandamus filijs atque hæredibus nostris, ut fideliter, & accuratè singula ad unguem observentur. Erga matrem devotissimus nulli defuit occasioni, per quam eius authoritati servandæ, promovendæque poterat attendere. Princeps statuum factus, & Provinciarum hæreditate aditâ, etiam junctus matrimonio obedientissimus esse matri perseveravit, non aliter atque in adolescentia, cum esset sub tutela. Nutus erant pro imperio, & obsequij tarditas quam minima, pro culpa gravi. Defunctorum propinquorum, Patris, ac fratrum corda lipsanothecis aureis, argenteisque, consignata in Ecclesia Societatis JEsu Græcij, suo demùm adjuncto corde contumulari voluit; ne mortuos statio disjungeret, quos vivos affectus intimus quondam devinxerat.

Mysteriorum Christianæ Religionis, præcipuè sacra-

Sacramentorum reverentissimus, verbo, & exemplo eorum dignitatem, & efficaciam ingerebat Acatholicis. Accessurus ad Sacramentum Pœnitentiæ, priùs erratorum, ac offensarum veniam ab Eleonora conjuge precabatur. Sacræ mensæ accubiturus præmittebat pridie abstinentiam à cibo, quamvis à præcepto jejunii dies vacaret. Adibat Communionem cum eo fervore, cum ea pietate, inter suspiria, & lachrymas ut amore divino succensa videretur anima â corpore eluctari. Non adfuit aliquãdo constituto tempore Confessarius, ab urbe absens, qui confessionem Cæsaris exciperet, sacrâ hostiâ palàm reficiendi de more consueto, die Jovis sacræ hebdomadæ. Tanto ex fortuita hac absentia correptum se metu sensit Ferdinandus, ne â publica atque usitata devotione præpediretur; ut æstu sancto intus commotus in pium sudorem diffluxerit; quem superveniens tandem Confessarius observavit ipso monente Cæsare; illustre certè testimonium charitatis divinæ intra præcordia flammantis. Curabat, ut divinarum rerum administratio cum ritu, ac decore tantæ rei actiones condecenti coram peragerentur. Non dedignatus frequentissimè pium patrini nomen, complures tùm virorum Principum, tum domesticorum aulæ proles â sacro fonte levavit. Ubi per negotia non vacabat adesse sacro muneri obeundo, submittebat de proceribus unum, qui vices pro se ageret. Eandem charitatem assistendo

compluribus ad ſacramentum Confirmationis præſtitit; eâ manu faſciam frontibus chriſmate inunctis, & obligandis admovens, quâ ſceptrum tractabat Imperii. Celebre fuit ſpectaculum, cùm iſtud Officii exhibuit Chriſtiano Guilielmo Marchioni Brandeburgico, recens ad Catholicam fidem converſo, ac ſacratiora dogmata in Eccleſia Collegii Societatis JEſu Viennæ profeſſo. Ambo tùm in eam affectuum diviniorum teneritudinem proruperunt, ut â lachrymis temperare non valuerint. Ubi annua Theophoriæ feſta recurrebant, nullam earum dierum vacare â ſua præſentia patiebatur. Intererat publicis velati ſub Euchariſticis ſpeciebus DEI triumphis, procedens pedes, aperto capite, redimitus ſerto de roſis implexo, manu facem ſuccenſam geſtans. Fiebat interdum, ut ex producta per longius iter, atque horas plures proceſſione, manus & brachium â cerei gravioris tractatione inflammaretur, & intumeſceret. Rediturum poſtridie ad ſimile munus monebant fidentiores, ut eo die ob affectum brachium â geſtanda face abſtineret: At Ferdinandus: ſupereſt, inquit, valetque manus altera, quâ DEO ſerviam. Occurrens delato per plateas cibo Euchariſtico demittebat ſe è curru, aut equo in pedes, & religiosè comitabatur. Cùm negotia majoris momenti expedienda inſtarent, aut urgeret bellum atrocius, aut regno cuipiam gravius diſcrimen immineret, primus Ferdinando erat adaram

ram recursus, unde ab exposito pluribus in locis venerationi publicæ Sacramento opem implorari faciebat. Aderat ipse sive per Ecclesias urbis, sive in sacro odeo domestico institutis supplicationibus, & flexis genibus coram Venerabili per plures horas præibat exemplo subditis ad implorandam DEI misericordiam, & subsidium. Missæ incruento Sacrificio assistebat devotissimè: gaudebat peragi illud cum reverentia debita, & per sacerdotes vitæ exemplaris. Accidit aliquando, ut capellano aulico impedito ad dicendam missam evocatus fuerit loci curio, quò Cæsar ab itinere diverterat. Jam apparatu sacro indutus adstabat missam inchoaturus: Cùm Ferdinandus ignotum antea sibi hominem accersit, & interrogat; nùm sacræ functioni Confessionem sacramentalem præmiserit? dubitanti, quid reponeret, & silentio suo factum neganti, addidit; convenientiùs futurum, si priùs reconciliationem faceret.

In omne genus pietatis, & religiosi cultûs propensissimum se præstitit. Manè digressus à lecto post præmissum signum crucis, muniebat se devotè precatione sequenti; quam calamo exaratam in libello orationum annotaverat. Per signum sanctæ Crucis, in qua JESUS Christus filius Dei & MARIÆ, verus Deus, & verus homo, mundi Salvator passus est, & mortuus inter duos latrones, ex ineffabili, & incomprehensa charitate ver-

ſus Deum & nos homines, cum ineffabili humilitate, manſuetudine, patientiâ, fortitudine, & conſtantiâ; ab inimicis meis, nempe hæreticis, & dogmatibus hæreticorum, à mundo, & vanitatibus ſuis, à carne & concupiſcentijs ſuis, à dæmone & fraudibus ſuis libera me Domine, Deus mi. Tu ſolus ſcis, & potes omnia. Priuſquam in publicum ad capiendos ornatus corporis prodiret, horam integram quotidie impendebat orationi, & meditationi ad privatum in intimo ſeceſſu, & apparatum huic pio exercitio oratorium. Claudebat precationem recitatâ ſenties oratione Dominica & ſalutatione Angelica, quam pro ſalute, & incolumitate filij ſui Ferdinandi coram imagine S. Ignatij brachijs in formam crucis compoſitis pronunciabat; additis in memoriam quinque vulnerum Chriſti totidem terræ oſculis impreſſis. Tenuit hunc morem conſtanter, ſive iter ageret, ſive ægritudine teneretur. Documento ſit, quod accidit in itinere, quod poſt comitia Imperialia Viennam Ratisbonâ redux inierat ſub annum 1637. Propinquabat Auſtriæ ad diem 23. Januarij, jam ad oppidū Straubingam appulſus, ſed cum ea, quæ patuit poſtea auctior, valetudinis proſtratæ infirmitate. Inde Confeſſario ſuo, etiam tùm decumbenti ex morbo, in hæc verba perſcripſit: Reverende in Chriſto Pater: Hactenus conſueveram priuſquam veſtibus induerer horæ ſpatio conſuetæ meæ orationi vacare. Experior per iſtud
iter

iter non fore opportunitatem moris continuandi; siquidem solito citiùs oportebit iter institui. Nescio equidem me huic pio exercitio ex voto obligatum esse; tamen à paternitate vestrà consilium peto, num dispensare mecum ex parte valeam. Cæterum per gratiam Dei bene valeo. Datum Straubingæ 24. Jan. 1637. Horâ orationis expeditâ & assumpto vestitu binis Missæ sacrificijs continuis attentissimus aderat. Finitâ alterâ respondebat sacerdoti Litanias Lauretanas præeunti. Non omittebantur istæ in privato, nisi eodem die in publico decantandæ forent, quod diebus Sabbatinis, ac pridie festorum, & Dominicis in sacro odeo aulico perficiebatur. Sub meridiem avocabat animum à negotijs publicis per semihoram, precando Deo, & expendendæ conscientiæ intentus. Non dimittebat hunc morem, ne quidem inter venandum. Ubi fera, vel avis in prædam expectabatur, ipse captabat tempus Deo, ac sibi opportunum. Priusquam noctu decumberet iterum semihorâ, ut minimùm orationi, ac discussioni conscientiæ vacabat. Nec aliter rationes abs se factorum exigebat, quàm si ad moriendum se eâ nocte componeret. In eum finem recitabat preces ad B. Virginem, Angelum Custodem pro impetrando felici obitu conscriptas; & subjungebat protestationem fidei, desumptam de septima parte familiaris admodum Ferdinando manualis, seu libelli precatorij, quem

olim P. Petrus Ribadeneira edidit. Poſtremis vitæ annis multum moleſtiæ capiebat â defluxionibus capitis, quæ vigilias orationi faciendæ deſtinatas cum importuno ſomno interrumpebant. Luctabatur adverſus catarrhos, & ſomnum Ferdinandus, donec preces expediret. Monuit aliquando Eleonora conjunx, ne violentiam diſcutiendo ſomno tantam admoveret, ſed ad quietem ſe laſſus componeret: & quomodo hoc, inquit, agam? num ut brutum me ad dormiendum componam? Habebat in uſu addere prædictis exercitiis Pietatis orationes vocales. Decurrebat quotidie penſum Roſarii, curſum B. Virginis, officium defunctorum, Litanias ſeptenas, nempe Virginis Lauretanæ, omnium Sanctorum, Nominis JEſu, Sanctorũ Germaniæ protectorum, Sanctorũ Martyrum, eas quæ pro animabus in Purgatorio, & alias quæ de B. Virgine ex ſcriptura ſacra ſunt comportatæ. Exercebat mentem frequenter per orationes jaculatorias. Etiam noctu evigilans prorumpebat in voces: Maria mater gratiæ, mater miſericordiæ: Tu nos ab hoſte protege, & mortis hora ſuſcipe. Monſtra te eſſe matrem, &c: Familiares ſibi pſalmos aliquot habebat, quos in urgentiori bus periculis ad demerendam opem divinam recitabat. Erant ex illis ſecundus, trigeſimus, trigeſimus quartus, quadrageſimus quintus, quinquageſimus tertius, & quinquageſimus octavus, ſeptuageſimus ac nonageſimus. Officijs, ac cæremo-

remonijs Ecclesiasticis semper cum voluptate aderat. Ut non omitteret adesse solemni litaniarum Lauretanarum cantui, quovis sabbato haberi solito, jubebat citato cursu urgeri equos, absentem etiam leucâ non unâ revecturos in urbem. Dehortabantur â festinatione stabulo Præfecti, quòd equis incommodaretur. At inquiebat Ferdinandus: nihil interest, ut bene habeant, modò revehant tempori: suppetent, qui postea eorum loco inserviant. Publicas supplicationes obibat quàm diligentissimè ac pijssimè: magis devotioni accendendæ, quàm pompæ comparandæ. Procedebat cum ea compositione incessûs atque oris specie, ut pietatis Christianæ, ac veræ Religionis viva imago diceretur. Manu gestabat rosarium, intentus DEO precando, & sanctis invocandis. Græcij adhuc Archidux virum Principem in supplicatione lateri adjunctum, & colloqui tentantem, placidè repressit: Recitemus, inquit Rosarium, ne populi devotio ex nostra confabulatione patiatur scandalum. Illud verò memoratu dignum. Dum â Gustavo Adolpho Rege Sueciæ omnia in Imperio vastatione, & cædibus perturbarentur, visum fuerat Urbano VIII. Pontifici maximo concesso pro Germaniæ populis jubilæo ad implorandam opem divinam Christi fideles incitare. Vulgatâ Viennæ indulgentiâ, constituta fuit supplicatio â templo aulico ad Cathedralem Divi Stephani deducenda. At pluvia intempestiva, & ferocior

cior imber intervenerat. Quare disuadebant palatini, aut ire omnino, aut ire pedes cum Processione: sat futurum pietati ajebant, si Cæsar curru progrediatur ad Basilicam. Nihil motus Ferdinandus & supplicationi interfuit, & pedes ivit. Erant luto, ac cœno instratæ plateæ; perrexit constans: irruebant â tectis, & canalibus impluvij vortices; non subtraxit verticem: inundabant rivi, & torrentes per compita; transibat sine sensu. Peregit supplicantium iter indutus humili veste, manibus ante pectus in crucem cancellatis, oculis in terram modestè defixis, tectus penulâ per imbrem subactâ, pileo in faciem â temporis injuria deflexo, frequentibus aquæ guttis vultu toto conspersus. Non omittam tamen, quod jam tunc vulgi sermonibus ferebatur. Nempe ea ipsa in supplicatione fuisse Regem Gustavum â Ferdinando Cæsare detriumphatum, & per demissionem ejus diei contusam fuisse superbiam toties hactenus victoris inimici. Nec multis abinde diebus hostis insolens ad Luzam ictus telo bombardæ sub initium conflictûs perijt.

Delectabatur lectione librorum, qui eruditionem spiritûs, & historias sacras tractarent. Priusquam in Imperatorem assumeretur septem omnino vicibus historiam multorum voluminum à Laurentio Surio super vitis Sanctorum conscriptam legendo evolvit. Nec curis Imperij admotus, amovit oculos à lectione. Addidit prædictis

histo-

historijs vitas Patrum, gesta fundatorum, aut reformatorum sacrorum ordinum, aliasque Sanctorum nostri temporis illustrium. Avidus captabat quidquid ex Indijs, China, aut Japone typis editum vulgabatur de fidei in illis partibus incremento, aut persecutionibus nominis Christiani. Ad dies festos celebriores, Natalitiorum, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis postulabat à Confessario libros diversorum authorum, qui super ijs solemnitatibus Salvatoris fuissent commentati; quos ipse legeret. Supremis vitæ annis, cùm deessent, qui recentiores proponerentur præsentari sibi relegendos veteres jussit P. Vincentium Brunum, & P. Ludovicum de Ponte. Hujus postremi meditationes adeo habebat perspectas usu & notitiâ, ut memoriâ abs se recoli posse ipse diceret. Quotidie versus aliquot, aut caput integrum ex libello de imitatione Christi, & breve compendium vitæ Sanctorum, fastis eius diei adscriptorum, attentè decurrebat. Sacras literas sæpius relegerat: illis evolvendis singularem pietatem, reverentiam & attentionem applicabat, nec omittebat documenta, ac præceptiones exinde captas executioni opportunè committere. Profecturus etiam venatum, si mora ab urbe longior erat futura, designabat libros, quos unà deferri ad legendum tempore constituto volebat. Adeò lectioni erat deditus, ut non semel Comes Balthasar à Thanhausen Ferdinando perquam familiaris

miliaris dicentem audierit; promptiùs dimissurum se vitam, quàm lectionem.

Devotione in Deiparam ferebatur ardentissima. Hanc ut filius matrem amabat. Penso illam quotidiano precum honorabat. Nulla confraternitatum, nulla sodalitatum Marianarum fuit in provincijs, ac regnis hæreditarijs, cuius Albo augustum nomen gaudens non adscripserit; suoque exemplo Imperatricem, Regem, Reginam, liberosq; Archiduces ad idem faciendum invitavit. Quâ pietate cognitâ persuasæ quoque sunt ex remotissimis regionibus diversæ Congregationes, ut impetrarent â Ferdinando ad suos cœtus exornandos adscriptum eius nomen. Insulæ in Flandria, aliæque documento erunt, quàm gratanter hic Princeps ab omni parte gestiret audire Cliens marianus. Peregrinationes ad ædes sacras, potissimùm verò Deiparæ, obijt cum eximia animi voluptate, & frequentiùs adolescentior. Invisit Domum Lauretanam, Cellas marianas, Deiparam Oetinganam, aliasque Viennæ, ac Græcij celebriores. Non occurrebat cura molestior, non discrimē gliscebat operosius, cùm non æquè recurreret ad Patronam Dei Matrem; aut facto voto pij operis, aut peregrinationis obeundæ prosperos solicitaret, & demereretur eventus. Auditus fuit dixisse; nullam se à Deipara opem implorasse unquam, quam illicò non obtinuerit. Sincero, ac simplici affectu petebat, quæ recta,

ac

ac salubria certò fore crederet: cæteris subjungebat conditionem: si ita ad Dei gloriam futurum esset. Ut prosperam in Regem Romanorum electionem pro Ferdinando filio impetraret Ratisbonæ Anno 1636. Cellensem peregrinationem vovit. Ut eodem tempore Adamo Comiti Schvvartzenburgico, Oratori Brandenburgico, viro catholicissimo, atque Reipublicæ utilissimo â morbo tùm decumbenti valetudinem pristinam cælitùs exoraret, munus insigne ad ædem Deiparæ Bambergensis deportandum constituit. Compos factus utriusque desiderij, votum alterum expeditè ac munificè exsolvit, de altero, cum â supremo morbo præventum se cerneret, monuit Imperatricem; ut magnæ matri, ac Dominæ suæ, ita Deiparam erat solitus compellare, promissum obsequium ea deinde sui loco præstaret: fecitque Imperatrix mox vidua accuratè.

Bellorum eventus, quæ vicenis omnino annis gravissima, & variâ cum fortuna gesserat, Deiparæ Patrocinio, ac dispositioni commisit. Ejus iconem præferri in labaris militaribus mandavit; futuram, ut certus ominabatur, faventiori præ Aquilis auspicio. Eam exercituum suorum Generalissimam in privatis, publicisque sermonibus, atque etiam in diplomatibus, & edictis compellabat, jubebatque communi suarum legionum venerationi hoc nomine præsidem salutari. Acer in vindicta de contemptoribus Deiparæ sumenda,

pro

pro perduellibus, ac proditoribus, juris ut divini, sic militaris habebat, qui in ejus numen peccassent. Audierat ab Italia cohortem quandam ausam fuisse expilare sacram alicubi ædem Deiparæ: Evestigio sumpto calamo in hæc verba Præfecto militiæ perscripsit, sub Undecimam Novembris Anni 1629. Dilecte Comes, Perscribo, quod dolens intellexi, de insolentia, & ausu, quem militum meorum nonnulli commisisse feruntur in ædem Divæ Virgini sacram, & divina mysteria: Notæ tibi sunt gratiæ & victoriæ, quas per intercessionem Deiparæ Generalissimæ meorum exercituum hactenus obtinui. Nisi abstineat ab hujusmodi delicto miles; justo metu teneri possum, ne pristini ejus in me favores in indignationem abeant. Mando tibi, quàm valeo efficacissimè, ut accuratè inquiras in factum, & severissimè plectas reos; neque cujusquam respectu flectaris. Ita munus adimplebis ministri, qui Principis sui gratiam demereri gestit. Evocaverat ab Hispania Religiosos Ordinis S. Benedicti de Monteserrato: quos constituerat extra Urbis Viennensis pomœria locare, cum cœnobio, ac templo Deiparæ honori fundando. Opposuit Præsidii Urbici Præfectus; non fore editioris fabricæ hanc molem, loco propinquo opportunam urbi; potiùs â propugnaculo ædificia esse amovenda, quàm adjungenda: facilè futurum, ut hostis obsidionem olim intentaturus, ex ea statione periculosiùs civitatem adoriatur, & qua-

quatiat. Auditâ interpellatione ſubjunxit Ferdinandus: Bone DEus! quid iſtud argumenti? non æſtimo tutelæ urbis munimentum aptiùs Eccleſiâ Deiparæ: Hanc opto quovis alio propugnaculo civitati conjunctiorem: Nequaquam diſcedo ab opere conſtituto: Qua parte mandavi, eâ templum aſſurgat: Plus inde emolumenti, quam periculi rebus civitatis acceſſurum confido.

Implorabat Clementiam Ferdinandi, & delictorum veniam dudum perduellis, & â partibus adverſis hærens hactenus Laurentius Hoffkirchen Baro Auſtriacus. Ex multis immeritum nominibus cui parceretur una res erexit. Habebat in poteſtate ſua imaginem Deiparæ Boleslavianam celeberrimæ per Bohemiam venerationis. Hanc ſpes erat priſtino loco, decori, ac reverentiæ reſtitutum iri, ſi in gratiam Hoffkirchius reciperetur. Itaque diploma reconciliationis expedit Ferdinandus, quam ea conditione Hoffkirchio indulget; ut ſacram Virginis immaculatæ effigiem venturus in conſpectum Cæſaris ſimul adducat; reponendam juxta interceſſorum pro eo pacta in priſtina ſtatione. In alios Cælites reverentiſſimus Ferdinandus, præcipuè D. Joannem Baptiſtam, Principes Apoſtolorum Petrum, & Paulum, S. Antonium de Padua, S. Auguſtinum, S. Franciſcum, S. Ignatium, S. Tereſiam coluit. Affirmavit quandoque Imperatrici præſenti, aliiſque compluribus; plurimum ſe affici Sancto Igna-

tio, cui res suas intercessione sancti apud DEUM servandas, promovendasque jam pridem commisisset. Adnumerabat prædictis singulari cum veneratione eum de sanctis, quem fortuitâ sortitione capiebat sibi patronum singulis mensibus: quam sortitionem pro Ferdinando sanctimoniales Virgines Annunciatæ peragebant. Angelo suo custodi deditissimus vixit. Ejus honori impetravit â summo Pontifice, ut per hæreditarias omnes Provincias ab universo Clero festum Angelorum custodum cum octava solemniter celebraretur.

Extra Cælites nulli impendebat majorem reverentiam quàm ordini sacerdotali. Pretium homini apud Ferdinandum conciliabat solus hic character. DEUM in sacerdote venerabatur. Præponderabat hæc dignitas alteri cuivis honoratæ vitæ, aut fastigij celsioris: quamvis & vitæ integritate in proximo & eminentiâ honoris cujuslibet pro merito, & conditione delectaretur. Colloquens cum sacerdote, etiam Capellano domestico, honorabat hunc titulo Domini, aut Patris. Occurrens de his cuipiam, aperto capite eum reverebatur. Mos est Principibus è domo Austriaca Alemannica præbere accedentibus manus osculandas in signum gratiæ, & benevolentiæ. Sacerdotibus dexteram promptè offerebat Ferdinandus, sed non sustinebat, ut osculo tangeretur: ajebat enim, illud esse favoris Cæsarei, quem deberet

beret; iſtud honoris & obſervantiæ, quam chara-ćter depoſceret. Stupuerunt circumſtantes, cum diceret aliquando, ſe in occurſu Angeli, & ſacerdotis; prius ſacerdoti venerationem impenſurum, poſtea Angelo. Quotidie in fuſis ad DEUM precibus meminiſſe ſolebat Cleri, primùm Epiſcoporum univerſim; deinde ac ſingulariter ſummi Pontificis. Honorem ordinis ſacerdotalis tutabatur fortiter. Audierat de quodam Epiſcopo, quod de ſe acerbiùs prolocutus fuerit; nec defuit, ex colloquentibus, qui hominem ut improbum, & iniquum ſuggillaret. Quem reprehendens Ferdinandus: omitte iſta, inquit, Epiſcopus enim eſt. Quacunque proficiſcebatur, volebat ſibi adeſſe confeſſarium: Hujus præſentiam ſibi æquè gratam eſſe affirmabat, ut cuſtodis Angeli. Cùm ad Confeſſionem Cæſaris excipiendam ille veniret, occurrebat obviam Ferdinandus capite dete-ćto ad limen conclavis; & ingredientem reverenter conſalutabat; morem hunc toto vitæ tempore proſecutus. Mirum & illud in tanta Majeſtate. Capiebat prior ſedem, & accommodabat loco, in quo aſſidere excipiendæ Confeſſioni ſacerdotem oportebat, cumque officium præveniret, aut deprecaretur Confeſſarius, aiebat; ſineret ſe agere, quod muneris ſui nunc eſſet. Alijs quoque obſequijs præſentem, ac recedentem ſtudioſè proſequebatur.

Religioſos ordines eximio cultu complectebatur;

tur. Non est cœnobium, non institutum Regularium, quod gloriari non valeat de amore Ferdinandi sibi impenso, ejusque in se quampluribus meritis. Vetustate attritos, & collabentes per provincias hæreditarias ordines spendori pristino reddidit. Florentes verò, ac robustos avitis bonorum temporalium incrementis ampliùs firmavit. Primus in Austriam, Bohemiam, & Styriam Clericos Regulares S. Pauli, Camaldulenses, Regulares S. Francisci de Paula, Carmelitanos discalceatos, Eremitanos S. Augustini, & Eremitanas, Religiosos Ordinis S. Benedicti de Monteserrato ab Hispania profectos, Servos Matris Dei, Franciscanos Congregationis Hibernicæ invexit. singulis horum, aliorumque cœnobia, aut monasteria vel à fundamentis erexit, vel ab alijs collocata locupletavit, ornavitque. Impensiùs afficiebatur ijs Religionibus, quas sciebat suæ Regulæ, ac Professionis àmantiores, & observantiores, neque à primævo rigore defecisse. Ab his frequentiùs preces expetebat, publicis Imperij negotijs Deo commendandis; cum his familiariùs conversabatur, & interdum accumbere mensæ in horum triclinijs solebat. In hos ut Consiliarij, & Ministri propensiori affectu ferrentur, ac primùm filius in Imperio successor satagebat. Plurimùm se debere orationibus eorundem; aiebat, per quas sibi multiplices ab alto favores, & gratias fuisse impetratas affirmabat.

Et

Et quia mundo notum est, quanta cum teneritudine affectûs fuerit complexus Ferdinandus Societatem Jesu, justissimum esse duxi, ut in meritissimam memoriam beneficiorum, quæ in nos profusè contulit, hoc loco nonnulla subjungam. Decem domos Societati nostræ à fundamentis collocavit. Binas Professorum, alteram Viennæ, Pragæ alteram. Binas Novitiorum, Viennæ itidem, ac Leobij: Collegia sex, Labacense in Carniolia, Clagenfurtense in Carinthia, Goritiense in Forojulio, Kutenbergense, & Litomericianum in Bohemia, & Glockovianum in Silesia. Plurimùm auxit & dotavit domos, & Collegia Academica, quæ jam prius instituta fuerant à Carolo Progenitore Græcij, & Avo Ferdinando Primo Pragæ, & Viennæ. Profuit munificè Passaviensi Collegio, quod Leopoldus Cæsaris frater erexerat, item Lincensi, & Brunensi, quorum prius à Rudolpho II. posterius à Matthia Imperatoribus fundatum. Favit liberalissimè Collegio Olomucensi, Iglaviensi, Znoimensi in Moravia, Zagrabiensi in Croatia, Jaurinensi in Hungaria, Fluminensi in Istria, Tergestino in Forojulio ad mare Adriaticum, cæterisque passim per regna, & Provincias hæreditarias diffusis. Etiam filios, & fratres pari inclinatione in Societatem propendere imposterum optabat, eò quod ab eadem tùm in virtute, tum in literis institutionem haberent utiliter conjunctam, quam Progenitoris sui, & ipse-

ipsæ sua cum satisfactione & proprio experimento hactenus comprobassent. Pro se, & Palatinis Confessarios, & Concionatores è Societate delegit. Hos quotidie sacro Missæ Sacrificio coràm dicendo adesse voluit: Horum precibus ubi tempestas aliqua periculosior statûs publici imminebat identidem se commendabat: His liberaliùs pro conversatione uti; adire frequentiùs istorum domos, & collegia, prandere, ac cœnare cum his familiariùs consueverat. Non defuit occasionibus, ubi ornandis, & locupletandis illis præsentabatur opportunitas. Dicebant universi; eum, qui Societati adversari pergeret, lædere pupillam oculi Ferdinando. Eundem esse hostem Cæsari, qui oppugnaret; amicum, qui bene vellet Societati.

Anno 1634. die tertiâ Maij colloquens Ferdinando filio profecturo ad castra, motu proprio Societatem JESU, ut haberet cordi, commendaverat. Replicuit Rex: non videri sibi opus incitamento, cùm diligeret, & in pretio haberet Patres Societatis. At Cæsar: placet, inquit, nihilominus iteratò, ac sæpiùs Patrum tibi curam impensè committere, quamvis non ignorem, quo loco apud te sint. Defendendos, & tutandos omnino abs te desidero adversus hostes, quos non modo apertos habent, sed & qui illis per simulationem adversari non videntur, occultè tamen impugnant. Patebit progressu temporis plu-

res ad oculum his fautores esse. Aliàs in laudem, & commendationem Societatis affirmavit: quod si sui juris ipse esset, evestigio huic Religioni nomen dare pergeret. Redux Francofurto Græcium à suscepto Imperiali diademate, cum in triclinio Collegij à filijs Archiducibus, Joanne Carolo primogenito, postea demortuo, & Ferdinando Ernesto in Imperio successore, recitata ab his oratione elegantissimâ, salutaretur: confido, inquit, Societatem filijs meis charam fore: quod si egerint felices, ac fortunati evadent. Quid luculentiùs eo quod sequitur? Non semel dignatus est Ferdinandus Religionem hanc matrem suam compellare. Sparserat per Hispanicam Aulam improbum rumorem impudens fœmina, de quodam Societatis Sacerdote, quod occasione confessionis excipiendæ solicitaverit virginem nobilem in Aula Cæsarea ad impurum facinus, atque ob id pulsum à palatio. Res ab Hispania ad Præpositum Generalem perlata, atque ab isto ad Confessarium Cæsaris. Cæsar ex Confessario de literis edoctus ad marginem Epistolæ suâ manu adscripsit, exhibendum Generali Præposito.

Reverendissime in Christo Pater.

REmitto Reverentiæ Vestræ literas. Mendacium omni imposturâ mendacius continent, & miratus audaciam, & indignatus sum fabulæ. Si reverentia vestra adversum huic mendacio pro

Innocentia traducti Patris testimonium postulat; dabo promptè, & equidem, si pauculæ hæ lineolæ non sufficiant, in forma amplissima. Ita censeo expedire ad conservandam bonam famam Societatis JESU Matris nostræ. DEUS illam servet, ac tueatur unacum Reverentia vestra, cujus SS. Sacrificijs me totum commendo. Ex Eberstorff 17. Septemb 1633. Reverentiæ Vestræ
Ferdinandus.

Finis non suppetit recensendi beneficia, quæ Imperator Ferdinandus Societati contulit; eandemque etiamnum beant. Quia tamen proposita scriptionis brevitas longiorem digressionem prohibet, finio narrationem præsentem cum illustri clausula codicilli â Ferdinando dictati. Ubi de restituenda & conservanda Religione Catholica mentionem fecerat, addi in scripto jussit: Et quia ad consequendum finem, opportunissimum esse medium constat, si stet firmus honor, atque incolumitas totius ordinis Ecclesiastici, & sacerdotalis; omni studio protegendus, & singulari ope firmandus est. Ideo paternè & benignè oramus, atque requirimus Ferdinandum Ernestum filium natu majorem, successorem nostrum in Imperio, cæterosque filios, hæredes, & successores omnes, ac præsertim eos, qui successu temporum Reipublicæ præerunt: ut primo loco sibi commendatos habeant sacerdotes, & Ecclesiastici ordinis cæteros homines; Eorum domos,

Eccle-

Ecclesias, monasteria, fundationes, bona temporalia, omniaque jura & prætensiones eisdem manuteneant ac tueantur; ut eos revereantur, ament, omni modo, ac ratione, quo poterunt, adjuvent, & defendant. Ante omnia verò cum omni sinceritate, & singulari cum zelo commendatam ijsdem cupio Venerabilem JEsu Societatem, ejusque Patres. Siquidem hi sua doctrina & instructione juventutis, ac vita exemplari inter Christianos, & Catholicos non modo per Austriam inferiorem, sed & per Regna ac Dominia nostra cætera, imo in mundo universo admodum bene, atque utiliter operantur, atque in conversatione cum proximo, & fidei Catholicæ dilatatione quærenda plus cæteris laboris impendunt, atque hoc fideliter, & ad ultimum constanter: non obstante, quod indignum omninò est, quòd ingratus, ac iniquus hic mundus eos odio habeat, ac persequatur plus omnibus cæteris. Qua de causa pluribus quoque præsidiis, ipsi indigent; & ampliorem protectionem, opem, & assistentiam præ cæteris promerentur. Speramus dictos hæredes, & successores nostros sincerè præmissa observaturos. Estque seria hæc nostra ultima intentio, & voluntas.

Ut verò cælestia gloriosus hic Imperator impensè venerabatur, sic pretia illi terrestrium continuò ampliùs vilescebant. Nulla illi voluptas ab honorum & divitiarum affluentia. Favebat Di-

vina liberalitas in accumulandis & multiplicandis dignitatibus, opibusque Ferdinando, dum ex adverso Ferdinandus neutris animum affigeret. Gloriæ incrementa cœlum congerebat; at Ferdinandus intra Christianæ demissionis limites constans perseverabat: non appetebat, quod faciebat parvi. Anno 1627. assistebat â throno Imperiali, redimitus corona Cæsarea, & paludamento regio investitus, dum Impetrici Eleonoræ, ac filio diadema regni Bohemiæ imponeretur. Videri poterat admodum sibi complacuisse in apparatu & magnificentia actionis adeo illustris. Verùm redux in palatium familiari sibi adstanti affirmavit. Universam Regum, ac Cæsarum pompam, qualem hodie spectaverat, similem omnino posse censeri actæ in theatro comœdiæ. Ibi quoque adolescentes Academicos personas sustinere Regum,& repræsentare Cæsares,omnemque pompam aularum. Discriminis hoc unum in theatro utrovis esse, quod fictitii illi & personati paucis horis fabulam ludant; veri isti, & genuini pluribus annis imperent. Cæterùm duratione temporis non substantiâ muneris differre. Cùm animo volveret tot in se quotidie novos hostes subnasci, tot appeti caput suum insidiis, tot comparari machinas deturbando sibi à solio. Ergo tanti, inquit, interest esse caput coronatum? Præsto sum, ut sponte ac lubens Imperio me abdicem; modò constet, cui DEus, utique

meliori,

meliori, illud deſtinet. A Dieta Imperiali, poſtquam in Cæſarem fuerat inauguratus, Ratisbonâ Græcium redibat, cùm dignam pietate ac genio ſuo ſententiam protulit: Diadema Imperiale ſuſcepiſſe ſe, non gloriæ ſuæ amplificandæ causâ, ſed promovendæ divinæ, & utilitati Reipublicæ procurandæ. Alio fine inducendum ſe fuiſſe nunquam, ut oneri humeros ſupponeret, & animum muneri applicaret. Uſus eſt in populo, ut adventantem Principem triumphali more, in urbem, ac ditiones invehant. Admittebat pompam Ferdinandus eâ, ut affirmabat, de causâ tantummodo, ut ſubditorum in Principem veneratio ſarta maneat, condiſcatq; populus parere præſidibus, ac magiſtratibus, ſimul atq; eoſdem amare. Nec tamen ſemper id officii, ac pompæ publicæ admiſit. Modeſtiæ documentum ultimò dedit, cùm Ratisbonâ redux Auſtriacorum procerum, ac Viennenſium magnificos apparatus â Provincia & urbe decretos, jamque in promptu ſtantes progredi vetuit. Neminem de potentioribus, ſumptuoſa quæque ad occurſum comparantibus, prodire obviam paſſus, mandavit, ut cuncti in aditu tantùm palatij ad manus oſculum præſtolarentur. Ne verò etiam contemptos ſe crederent; affectus hujusce ſignificatione ſe delectari præſetulit: Interea apparatus univerſos in adventum Regis Romanorum proximè inaugurati ut differrent, mandavit. Anno 1595. edicto impedivit, ne dum Ingolſtadio

Græ-

Græcium reverteretur ætatis anno decimo septimo ad capienda ditionum gubernacula, publicis honoribus adventans coleretur. Et contemptim, & cum risu aspiciebat quodcunque auri,& argenti, ac divitiarum cæteroquin homines concupiscunt aut quærunt. De opulento numer opecuniarum & opum, qui ex perduellium, ac reorum pœnis in fiscum inferebatur, nihil in privatos usus transferri patiebatur. Sæpiùs asseruit, suâ opinione atque æstimatione nihil aurum â cœno differre; seq; nisi benemeritis præmia exinde decernenda sibi aliquando forent, nullam ejus metalli cogitationem unquam suscepturum fuisse.

Nullo negotio despiciuntur cætera ab eo, qui semetipsum omittit appretiare. Demissionem virtutum regalium operosissimam studio,ac diligentia singulari coluit Ferdinandus. Eâ mentem temperantiâ coërcebat, ne superbiæ fastu auferretur dum se dominum mundi esse nosset; ut â Christianæ humilitatis cancellis nunquam dimitteret volatilem aliàs spiritum regnantium. Ipse gloriæ humanæ contemptor eximius de sua persona non loquebatur jactabundus, non ferebat sermones assentatorios; odio habebat fœcem hominum, natam principibus per adulatorias laudes corrumpendis. Historicos equidem non refugiebat, qui de gestis suæ gubernationis scriberent; sed non amabat, qui affectatè laudarent; Ajebat; sua interesse, ne malè agat, non autem

quid

quid historicus scribat. Triduò antequam moreretur testatus est; quanti se ipsum faceret. Monebat Procerum nonnemo, ne diligentiæ deesset ad recuperandam valetudinem opportunæ. Cui Ferdinandus: non ultrà opus habet Imperium meâ personâ, dedimus illi successorem, & hunc perquam bonum. Dum Principes viri feudorum investituram ab assidente â solio regali Cæsare genuflexi postulabant: & circumstantium corona potentiæ Ferdinandi applauderet, ac Majestatem adoraret, quæ honoratiora in terris capita haberet affusa ad genu; tùm averso â terrenis splendoribus animo, oculos intendebat in demissionem sui humillimus Princeps, illud literarum sacrarum corde repetens: *Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei: neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me: Ego sum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abjectio plebis.* Eâdem se demissione obarmabat cùm per oppida, & civitates inferretur triumphans, aut cùm oratores exterorum Principum acciperet. Intentus tunc maximè in historias Regum â sacris codicibus propositas, de quibus legendo frequentiùs capiebat documenta magis ad complacendum Deo, quàm ad consentiendum mundo facientia. Collocutus de his suo confessario, ajebat; animadvertisse se ex sacra lectione, perpaucos Regum probatos Deo fuisse, complures perversorum, pravorumque morum perseverasse: subjunxit Confessarius

sarius sanctæ observationi annuendo: Eos ipsos etiam, quos scriptura sacra commendat è Regibus Judæ, aut Israelis, nonnunquam ab exercitio illustri facinorum heroicorum declinasse in superbiam: summum ità optimis quandoque Principibus discrimen ab arrogantia & fastu subnasci: timendum his amplius esse naufragium in portu, cum subtracta jam prope litus est navis, quàm cum in alto velificabat. Edoctum experientiâ consultò proclamasse Davidem Regum optimum: non veniat mihi pes superbiæ. Reposuit Imperator: Confido in bonitate Divina, quæ me reddet â periculo hujusmodi liberum. Quando de prospero undecunque eventu fio certior, prostratus in terram, DEO gratias ago, & dexteræ Excelsi munus agnosco, non opus meæ virtutis. Gratum si quod aliàs nuncium allatum fuerat Ferdinando adhuc Archiduci Anno 1598, exactos tandem è Styria pravorum dogmatum præcones, & discussum â Græcio venenum, quod Provinciam, & civitatem acerbè in eam diem vexaverat. Laude ac memoria immortali dignus erat hic eventus, quem sola Archiducis in proposito constantia, nequidquam valituris remedijs consiliorum, aut armorum, perfecerat. Videri poterat tam expectatum nuncium posse resolvere animum Ferdinandi in lætitiam & sui pretium non inane: at supergressus stimulum naturæ exclamavit: *non nobis Domine, non nobis, sed nomi-*

ni tuo

ni tuo da gloriam. Tùm in conclave interius recedens flexo genu, affectu & submissione inclinatissimâ, DEO grates pro beneficio hoc publico persolvit. Sub annum 1634. appulerant die decima Septembris â Ferdinando filio literæ, quibus celebratissima ad Nördlingam victoria recensebatur; fusis in prælio ad internecionem hostibus, reliquisq; qui superfuerant pauculi, in fugam dispersis, bellico apparatu omni, vexillis militaribus, atq; opimis spolijs in potestatem redactis, & simul quod caput erat, jactâ basi existimationis, & securitatis, quâ imposterum Majestas Imperatoria Ferdinandi inconcussa maneret. Literas reclusit, legitque adstante de proceribus suis familiari Ferdinandus, oculis illicò in lachrymarum flumen effusis, subjunctoque dicto: magna nobiscum Deus operatur: ego tamen in simplicitate mea progrediar, & post obtentam hanc victoriam in oculis meis humilior, quàm ante perseverabo. Ita universa Deo semper attribuebat. Et istud humilitatis profundissimæ argumentum fuit, quod ubi, quamvis infrequenter admodum, ab ore Ferdinandi verbum excidisset, quo ab obsequijs quisquam percelli aliquantùm animo poterat; illicò malagma vulneri parabat, & captatâ opportunitate colloquebatur iterum afflicto, tanta cum dulcedine, & affabilitate, ut nihil abesse videretur, quin singulari quadam dicendi formula veniam offensæ deprecari crederetur. Addebat tantam

animi

animi demissionem verbis, ut impar authoritati Imperatoriæ actio dici posset; nisi constaret, quòd humilitas Christiana magis illustret, exornetque majestatem, quàm obscuret.

Instructum virtutibus adeo illustribus Imperatorem Ferdinandum insignibus providentiæ suæ documentis Deus complexus, & tutatus fuit semper, demirantibus id ipsum, & asseverantibus ipsis hostibus. Adversarios nactus fuit plurimos æquè, ac potentissimos. Permissi tamen à Deo nequaquam sunt, ut simul universi irruerent. Debellato uno procedebat alter in campum. Si unà omnes arma opposuissent, unus in omnes humanitùs non profecisset quidquam Ferdinandus. Unus tamen omnes singillatim vicit, ita disponente adversa Deo, ut quamvis virtus Ferdinandi exerceretur, tamen desertam se nullibi aspiceret. Turcam irritabant seditiosi, ac rebelles, ut moveret in Cæsarem. Spem barbaro faciebant prædæ, ac Regionum prono eventu obtinendarum: occasionem ne dimitteret è manibus solicitabant. Deo nihilominus curante obsurduit ad postulata factiosorum vicinus, & potentissimus & hæreditarius Christiani nominis hostis. Sæpius conjuratione factâ concurrerant in Cæsarem Principes & Respublicæ, unitis viribus obruturæ, uti sperabant vincendum. Adfuit in præsidium Deus, difflavit improbum gluten, & fœda fœdera compescuit; partibus, aut ad propria emolumen-

ta curanda dilapsis à discordi concordia, aut qui venerant formidabiles cum dedecore ab incepto depulsis. Post cladem, quam exercitui Cæsareo inflixerat Rex Sueciæ ad Lipsiam, nihil promptius adesse ruinâ Domûs Austriacæ videbatur. Erat Cæsar supremo discrimini proximus; exutus omni milite; etiam spe suppetiarum humanarum undequaque accisa. Causa tamen Ferdinandi Deo cordi fuit. Seu infusus timor, seu offusus error abstulit Gustavum, cæteroquin Ducum experientissimum, ut diverteret ad convellenda Imperij membra, cum in promptu haberet fulmen, quod capiti infligeret. Prælium quo Ferdinandus Rex Hungariæ universum hostem debellaverat ab evidentibus divinæ providentiæ indicijs resplenduit. Si adversarius exercitus sustinuisset pluribus diebus aciem, necesse fuisset Cæsareo recedere. Deerat provisio de victu: deerat de re bellica instructio: triumphatum tamen. Prima victoriarum in albo monte ad Pragam, si quæ alias, demonstravit, adfuisse Deum Ferdinando. Erat Cæsareus exercitus incommodo loco: hostilis in editiore montis crepidine metabatur. Illi per inaccessum iter eluctandum ad pugnam; huic præsidio ad victoriam stationis fuerat opportunitas. Nec illi sperare ut vincerent, nec isti timere, ut vincerentur, poterant. Fidem tamen rebellium divina virtus elisit, & metum fidelium ad triumphum omnium gloriosissimum erexit. Et illud ad-

admirandum. Fridericus quintus Elector Palatinus collectis validis copijs ibat erepturus diadema Bohemiæ Ferdinando, cùm eo ipso tempore ad collegium Electorale evocatus suffragium inter Electores cæteros dedit Ferdinando, ut in Imperatorem coronaretur: ferro quod in latus regium armaverat Fridericus divinitùs converso in laurum, quâ ad fastigium excelsius incingeretur. Quod illustrius sequenti in pijssimum Principem cœli affectuum documento? Anno 1618. perduelles Bohemi dejecerant è fenestra dicasterij Pragensis Guilielmum Comitem Slauatam, Jaroslaum Comitem de Martiniz, & Philippum Fabritium Regni Secretarium, reos nempe furoris publici, quòd in fide data Ferdinando perseverarent constantes. Prodigio evidentissimo factum, ut ab editissimo casus nullum de tribus extinxerit. Sed & omen fuit; jactationem illam fortunæ Cæsareæ non excidio, sed validiori à casu firmitudini futuram imposterum. Refert Carolus Caraffa Episcopus Aversanus, tùm apud Cæsarem Nuncius Apostolicus in historia Germaniæ sacræ restauratæ: Anno 1620. die octavo solennitatis S. Viti Ecclesiæ Pragensis, & Metropolitanæ Patroni; in eo templo sub mediam noctem auditas voces alternatim de more Ecclesiastico Psalmos, & divinum officium decantantium: neque à vulgo modo, sed etiam à primoribus Hæreticis, ipsisque ad custodiam templi à palatino collo-

collocatis militibus prætorianis auditam Psalmodiam: certum nempe, ut interpretatus fuit Caraffa & eventus docuit, indicium insequentis proximè anni actionum ordinante divina providentia in favorem Ferdinandi, & Ecclesiæ Dei promovendarum. Anno quippe 1621. ipso die octavæ capite truncati fuêre directores (sic cognominabantur) Bohemici. Illi ipsi videlicet elisis ferro faucibus mactati, qui concentum Ecclesiasticum à loco sacro depulerant; quem cum homines Deo dicati non possent tunc prosequi, ipsi ab alto cælites cum sancto Vito, & Divi Ferdinandi Patronis noctu supplevissent; & per invisibilem concentum vindictam quoque justissimam adversùs Deo & Cæsari perduelles impetrassent. Observatum fuit universim neminem arma Ferdinando movisse, qui aut violenta morte, aut per ærumnas immanes, aut cum nominis insigni infamia non perijsset; Cæsare ex adverso indies proficiente in gloriæ, & successuum fortunatiore semper incremento.

Demùm collocato filio in paterni honoris solio, metam consecutus justissimorum desideriorũ, placidâ non minus morte acquievit Ferdinandus, quàm molestijs, quas gloriosè exantlaverat, subtractus fuit. Censuêre omnes, qui hunc Principem noverant, & istud non sine ope cælesti evenisse; quòd tanto annorum cursui superesse potuerit tot inter discrimina, ærumnas, ac solicitudines, quibus

convixit. Adſcripsêre miraculo medici poſt corporis factam anatomen, humana virtute fieri non potuiſſe, quod Ferdinanus adeo fuerit ſemper hilari, ac renidente vultu, adeo in omnes affectu prono, & liberali, denique in eam ætatem, quæ ſexageſimo erat ſuperior emerſerit. Præterea quod mortem obierit ſine convulſione pectoris, ſine angoribus cordis, ſine oris, ac vultûs ulla diſtorſione, eâ cum ſerenitate placidiſſimè moriens, quâ vix à ſomno indormire amœniùs aliàs videri poterat. Qui mortuum, triduò propoſitum ſpectaculo, intuitus eſt, pari ſenſuum compoſitione, quâ vixerat, coram adjacere extinctum fatebantur. Non erat mortuo, ſed amabili ſopore conſopito ſimilior.

Die, quo ſupremum diem vixerat Viennæ, omnium ore ferebatur obiiſſe Imperatorem, cui parem â ſanctitate, Religione, integritate morum, & clementia multa ſæcula nequaquam tulerint. Idem ſenſus per provincias & ditiones hæreditarias atque etiam ad gentes exteras manavit. Ipſi paſſim heterodoxi opinionem de Ferdinando integerrimam conceperant. Fuit qui â pulpito auditoribus ſuis declamaret, aut Catholicorum neminem in cœlo eſſe, aut eſſe receptum Ferdinandum. Immenſum foret referre elogia & præconia, quæ non modo per Germaniam ſed & regna extranea ſcriptis & ore edita reportavit. Undique & ab omni parte acclamabatur pius, inſtaurator

rator religionis, fortis hæreticæ pravitatis exstirpator, Princeps dicto constans, humilis, liberalis, benignus, quodque DEO potissimum cordi, etiam Sanctus. Alii comparatione instituta æquabant Ferdinandum Ezechiæ, Josaphato, Davidi. Fuit ejus pietas tantæ apud duces ac milites existimationis, ut omninò crederent, plus illum oratione & precibus posse ad debellandos atrocissimos quosque hostes, quàm exercituum, armorumque vim locupletissimam. Aiebat ex summis campiductoribus quidam: magis desidero ut Ferdinandus vel semel advolutus aræ Deiparentis, ibi Litanias Divæ Virginis recitet; quam ut in suppetias duodecim millia veteranorum submittat: amplius confido ejus precibus, quàm robori quantolibet militari. Audiamus Gustavum regem Sueciæ. Hic propitiam ubique fortunam expertus, tenebatur nihilominus metu solius virtutis ac probitatis Ferdinandi. Gabriel Bethlenus Transylvaniæ Princeps dubiam ac periculi plenam aleam dicebat esse, bellum movere Ferdinando, quem nec adversa deijcerent, nec prospera extollerent. Quæsierat ex veterano Turca Budensis Vezirius Mustapha; quî factum quod Ferdinandus semper à belli usu remotus, fortissimum nihilominus ducum, Regem Sueciæ debellaverit? respondit ille, Ferdinandus est Princeps Sanctus: Deus illi adest, & pro ipso pugnat. Permisit Turcarum Imperator, ut Con-

ſtantinopoli funebria magnifico cum apparatu fierent pro Ferdinando. Apponi feretro coronas & ſceptrum, aliaque Majeſtatis inſignia paſſus fuit. Panegyres haberi funebres, ac laudationes publicas inſtitui non vetuit. Adfuere prædictis ſolemnibus Primi purpuratorum, & Oratores Regum ac Principum tunc Bizantii præſentes.

Talem eſſe decuit Imperatorem, qui ſervandæ & defendendæ per Germaniam fidei atque Eccleſiæ erat à DEO prædrdinatus. Argumentum voluntatis divinæ in aſſumendo ad diadema Imperiale capiendum Ferdinando conſpirantis ſit illud, quod Authorum plures memoriæ tradiderunt. Facta conſpiratione decreverant prævalidi, & præpotentes rerum Catholicarum adverſarii occaſione uti, vix poſtea reditura, uno ictu impellendi ac frangendi potentiam Catholicorum: etiam Electores, qui tùm aderant, & facili negotio interfici poſſe credebantur, facto impetu ſimul erant obtruncandi. Verùm ipſis illis diebus clementiſſima & potentiſſima DEI Mater videndam ſe præbuit Joanni Suicardo Principi Electori, & Archiepiſcopo Moguntino: & viſa fuit animos hæſitanti addere ac dicere; Conſtanter Suicarde: ne metue: elige Ferdinandum. Fecit Suicardus imperata; ſimulque hoſtium machinæ collapſæ, nempe, non eſt conſilium contra Dominum, neque robur. Abſit ſepelire ſilentio illam quoque gloriam Ferdinandi, quòd reliquerit

rit successorem similem sibi; de quo in præsenti scribere & plura addere non vacat. Mundo nota sunt, quæ de eo gloriosè dici possunt. Abstineo à laude Principum viventium. Eorum tantumodo qui diem suum obierunt celebrare memoriam institui; ut suscitarem à mortuis, quos hæredes imitentur.

§. II.

Rara prudentia, aliæque virtutes illustres Philippi II. Hispaniarum Regis.

NOn fuit ab orbe condito vastior Monarchia, quàm cui Philippus imperavit. Nunquam à regionum aspectu sol recessit, quas ille per quatuor mundi partes diffusâ in immensum corpus Majestate gubernationis explicabat. Huic Monarchiæ & præfuit, & adfuit Philippus, etiam sole ipso præsentiùs. Prudentiâ & accuratione regnandi maximè dissita compaginabat. Justitiâ & benignitate, quasi singulis assideret, universa ad tranquillitatem componebat. Æquitatis severissimus cultor fuit. Nulla ætate pauperes adversùs opulentos pro domo sua sæpiùs & feliciùs exaudiri patuit. Satagebat quietem inducere in rempublicam, & depellere constanter delicta, tanquam certos authores inquietudinis. Suavitate & Clementia simul claruit. Priusquam rigorem Themidis expediret, capiebat experimentum lenitatis;

 de-

dehortabatur ut Pater, antequam feriret. Attemperabat moderationem rigori tanto artificio, ut quisque timeret in modico offendere, ne in permixtarum virtutum alteram, sibi acerbiorem improvisus incurreret. In omnes æqualiter sincerus, æqualiter promptus, nescius ex acceptione personarum judicare. Eo regnante complurium dominiorum ac jurium lites antea indecisæ, planè ad miraculum finitæ sunt, nemine contra hiscente, & sine tumultu. Ministros habuit, quos reverebantur, & suspiciebant omnes; sed & quos ipse illicò compescebat, removebatque ad cujuscunque iniquè oppressi pauperis querelam. Miserorum tùm erat vox adversus aggressores, & tribunalia non integræ fidei; si justitiam denegatis, Regem adibo: Hoc dicto judices & dicasteria tota commovebantur ad metum. Nunquam consensit; ut impunè magno sceleri esset: quidquid auri vel argenti in pretium misericordiæ offerretur. Ajebat, pœnas esse constitutas æquè pro opulentis, atque pro indigentibus. Nec tribunalia telæ aranearum adinstar esse debere, cui intricantur tantùm muscæ, pervadentibus scarabæis. Innocentes hac bilance æquitatis reddebat securos ubique, & semper pavidos nocentes. Imò ut inter subditos indifferenter; ita se inter ac subditos æquitatem sanctè servatam volebat. Habebat Franciscus de Palafax Arizæ toparcha super quibusdam juribus controversis litem

tem, quam Philippo movebat. Nihilominus animo generoso decreverat foro cedere, & ad voluntatem Regis ac placitum, causam ponere. Vidit prudentissimus Rex viri magnitudinem: atque hac ipsa de causa quod arbitrio suo prætensiones suas committeret Franciscus, gratum id sibi primùm esse significavit; tùm quòd è justitia foret, facturum se omnino spopondit: demùm delectorum duorum judicum discussioni, ac fidei probatæ decidendam controversiam omnem commisit. Designati judices, Rodericus Vasquez Consiliarius Regis, & Rodericus Zapata Auditor dicasterii Indici, libratis utrinque momentis causam adjudicavêre Francisco. Nec offensus in minimo Philippus evestigio misit, qui Franciscum de regis gratia, ac fiducia in obsequiis ac fidelitate ipsius imposterum perseveratura commonefaceret. Mandabat Regio Senatui Philippus; ut in dubio, inter se ac partes alias controverso, semper adversus Regem definirent. Non fuit passus undecunque ad regias partes inclinari judicium. Fiscali Præsidi atque eruditis in eo assessoribus universa actio incumbebat. Prohibere erat insuper solitus, ne per cætera tribunalia vulgaretur, istam alteramve è partibus Regi probari: providens cautè ne regium placitum impellendis animis fortè serviret. Contigit ad Segobiam, ut non multo ante profectionē è loco regii rhedarii ad invicem rixati, etiam fer-

ro se peterent, altero ex iis vulnerato. Ut adfuit abeundi tempus, intuitus Rex aurigam, quem in rixa observaverat, rhedæ admotum; interrogat ex Didaco de Corduba, quî factum quod nocens iste in vincula raptatus non fuerit. Respondit Didacus neminem futurum fuisse, qui rhedam regiam nunc gubernaret: cùm Rex, compingatur, inquit, in carcerem, & plectatur: mihi equum admovete: atque ita commodo privato æquitatem præhabuit. Alphonsus Sancius de Segura civis Toletanus, pro parte communitatis opposuerat se urbis censoribus, nec iniquè. Delata ad Philippum causa, acciri Rex hominem jussit, & satisfieri hujus postulato. Cumque ingrata censoribus ea res accidisset, provideri illi de regio fisco, & prohiberi omnem de cætero molestiam adversùs Sancium jussit, ut publicæ rei Patronum: quin etiam frequentiùs adiri ab illo voluit; ut, fortè octo mensium spatio absentem, compellârit; quid istud? tanto tempore te præsentem non vidi. Tanti faciebat Philippus studiosum boni publici, atque æquitatis amantem.

Ordinem Sacerdotalem apprimè reverebatur. Virum nobilem, qui sclopo in Canonicum Toletanum exploserat, decollari jussit: Alterum, qui colapho sacerdotem inhonoraverat capitis affici supplicio. Quærebatur Architectus ædificio S. Laurentii promovendo. Aderat, qui filium suum commendabat præficiendum operi, præclarum

in ar-

in arte; sed modò exulem ab urbe, quòd criminis gravioris reus esset. Quo audito Philippus ad parentem conversus; videsis, inquit, ne filium tuum furca potiùs expectet. Petebant Didacus Fernandez de Cabrera Comes Chinconii, & Bobadilla regius Senator, Philippo intimi, ut Menciæ Didaci filiæ Præfectura Regii Infantis, aut gynæcei donaretur, quò expeditiùs per hunc honorem elocari in matrimonio condecenti posset. At Rex; Aulæ meæ, aut Regni ministeria non dantur in dotem. Nubat cui volet Mencia: si maritum nacta fuerit de me benè meritum, aut meriturum, non deero illi præmiando. Oderat tribunalium in ferendis sententiis segnitiem & moras. Expertus præsidem regii Senatus Cardinalem Spinosam mirum in causis promptè expediendis judicem, aiebat; Virum habeo desiderio meo parem.

Et ipse, ne cui parti deesset promovendæ æquitatis, nulli labori parcere unquam volebat. Aut incumbere evolvendis libellis, aut consultationibus attendendis; aut expediendis negotiis continuò intentus fuit. Ad sylvas & hortos deferebat secum litterarum fasciculos: modò scribendis, modò dictandis, modò definiendis causis operosissimè applicatus. A venatione redux sollicitè ad curas tantisper intermissas revertebatur, adinstar operarii, qui panem artificio mercatur. Non habuit administrum curarum publicarum æquè negotiosum, ac erat ipse: Constantiâ, & dili-

diligentiâ incredibili intentus ferebatur ad omnia. Contenta in scriptis, super mensulã depositis, accuratissimâ memoriâ complectebatur, ordinem singulorum ac situm tenacissimè retinens. Contigit, ut collocutus Matthæo Vasquio Secretario observaret per ostij rimas cubicularium quendam disquirentem in iis chartam, suo proposito servituram: cùm Philippus Vasquio: dic homini, inquit, parcere me illius capiti, ob memoriam Sebastiani Santoij, de me quondam optimè meriti, cujus commendatione ad servitia mea hic fuit assumptus. Nempe inter præmia rectè factorum computabat honorem impensum vivis æquè, ac mortuis à virtute ac Sapientia celebrioribus. Præstitit istud copiosè in Cardinalem Spinosam: quo vita functo, delatus in Marin Mugnos patriam Cardinalis, ad sepulchrum substitit, jussitque Sacrificium solenni ritu peragi; cui postquam interfuisset, amplissimis encomijs ac laudibus fidelitatem viri prosecutus, tandem subdidit ad filios conversus: hic jacet optimè meritus de Regno nostro minister. Patebat omnibus Philippus tanquam ara, ad quam in necessitate singuli confugerent. Serui ab heris attriti, subditi â dominis vexati, miseri â potentioribus oppressi, debitores â creditorum injurijs vim passi, perviâ omnes experiebantur ostia ad senatum & tribunalia, atque intimum Regis conclave. Pro sex Philippæis à Magnate Hispano debitis pauperi ope-

operario missus fuit lictor, qui mercedem in domo Magnatis exigeret. Ea erat in Regem observantia Grandium, & virorum per Hispaniam Principum, ut certatim inter se contenderent, quis apparitores regios, exequendæ justitiæ causâ transmissos honoratiùs domo exciperet, & tractaret. Rex quoque tantæ fuit in populo venerationis, ut digressum â Palatio effusæ in plateas ædes circumsisterent, & affectu in Principem adeo beneficum profusissimo complecterentur. Ut tamen alienis incommodis sublevandis se dedidit; ita proprijs molestijs discutientis in se inclementior abstinuit. Fuit Madriti negotiator, cui ad votum res non procedebant. Multùm jam in expectatione terminandæ causæ erat consumptum & bursæ, & patientiæ. Credebat hærere omnia apud Regium senatum; ac primùm moram imputabat Regi procrastinanti sententiam. Audiêre vociferantem; aut peccato Barrabbæ, aut suorum temporum sceleribus factum, quod Philippi regnarent: ductoque per exempla regnorum ac nationum exterarum argumento tandem furias omnes in Philippum II. armabat. Maledicta ad dicasterium aulicum delata, & mandante Præside temerarius in carcerem conjectus. Mox propria confessione, ac testimonijs convictus destinabatur congruæ pœnæ. Priusquam tamen sententia vulgaretur, necesse fuit juris processum Philippo repræsentare. Cùm Rex: quod audax inquit,

quit, hic homo in Philippos viventes ac mortuos bacchatus sit, non æquè utrosque afficit. Mortui quippe non perceperunt ea maledicta, & quamvis percepissent, mei muneris non est singulorum ex ijs injurias ut meam vindicare: imo illi ipsi offensam remitterent si audivissent: neque enim ejus nunc conditionis sunt, ut affici injuriâ, aut ultionem ab hoc foro implorare velint. Quantùm mea interest, possem ulcisci, non volo tamen: sed ignosco. Convellatur processus juris, & liber mittatur reus â carcere. Imò de negotio quod tractat investigate: & quam primum renunciate Præsidi Senatûs, velle me, ut causa discutiatur ocyùs, ac definita ad ædes prædicti negotiatoris transmittatur. Fuerat hoc documentum illustris patientiæ, clementiæ, & æquitatis, tanto Rege virtutum dignissimarum. Anno 1574. vigebat ad S. Mariam del campo vectigal, quo decem pro centum ex indulto pendebantur. Obstitit concessioni homo literatus acriter in populo adversus Regem invectus, non sine animorum ad tumultum motu. Datus proinde in carcerem est â Magistratu, & ad consilium regium causa delata. Sententia Regia nihilominus fuit: uti dimitteretur è carcere, eò quòd insanum oporteret credere eum, qui male loqui auderet de eo, quem non nosset, quocum nunquam conversatus fuisset, & â quo nunquam læsus. At instabat Præses, videri sibi adhuc exemplo cæte-

rorum

rorum plectendum. Sed Philippus; Age, dimittatur: Fieri consuevit, ut minus querelarum habeatur de Principe, qui majorem conquerendi licentiam præbet.

Ut justitiæ, ita prudentiæ ad miraculum dedit specimina. Et domesticæ, & dissitæ gentes à singulari prudentia Philippum commendabant. Quòd monarchiam adeo diffusam incredibili animi magnitudine, ac potentia in officio contineret, erat argumentum transcendentis humanæ sapientiæ facultatem. E suo conclavi Indias orientales, & occidentales mirâ providentiâ moderabatur, quibus administrandis alii non suffecissent per exercituum vim immensam, & profusionem æris ac sanguinis luculentam. Adhibuit gubernationi multiplicem senatum, togæ, & sagi, Justitiæ & gratiæ. Utebatur operâ Vice-Regum, oratorum, campiductorum, aliorumque in ministerio aulæ, vel personæ regiæ occupatorum. Hos inter, ut conciliaret benevolentiam, autoritatemque, prudentiâ, arte, ac præsentiâ potissimùm suâ faciebat. Non minùs amari, quàm formidari volebat. Sic tractabat omnes; ut neque Dominum, neque conditionem mutare vellent. Per conscientiæ teneritudinem cavebat, ne cuiquam onerosior accideret: per sapientiam in concordia, & æquitate cunctos conservabat: per potentiam propugnabat adversus inimicos. Ferebatur in illos, facilis, tractabilis, beneficus, justus,

ſtus, remunerator, ſerius, ſeverus, conſtans, absque acceptione perſonæ, absque ſimulatione fraudis, magno cum divini honoris promovendi fervore, ac zelo. Domi, ac foris, liber aditus patebat ad Regem ſingulis, nec â quoquam timere periculum poterat, quem DEus protegebat. Inundabant â concurſu populorum viæ quâ ferebatur. Geſtiebant intueri pacis, & Juſtitiæ Patronum; acclamabant & augurabantur Philippo proſperitatem, longævitatem, felicitatem. Ut ſubditos quaquaverſum diſperſos ad invicem vinculo arctiori adſtringeret, providentiſſimè in conjugium ſociari faciebat Arragonios, Caſtilianos, Catalaunos, Valentinates, Navarros, Luſitanos, Italos: Ita ſanguine & affinitatis intermediis obligationes, & ſtudia vaſtæ monarchiæ in unum comportabat. Strenuam curam adhibuit, ut factiones illuſtrium familiarum, atque etiam nationum ſtirpitùs exterminarentur. Reos diſſenſionum captivitate, & ſuppliciis mactabat: frænum; & compedes inquiens diuturnis animorum colliſionibus deberi. Novandarum rerum cupiditatem, & ſtatuum mutuas æmulationes, quæ infringere & debilitare ſolent gubernationem, & corpus politicum convellere, omnino truncabat. Seditioſos, & partiales primùm ſatagebat ad concordiam, & tranquillitatem per arbitros, & cenſores adducere: deinde ubi profundiùs radices malum egiſſet, occupabat ſectarios extra pat[illegible]n ſingulo-

ſingulorum, in adminiſtrandis curis publicis, aut militia: ita providè,ac prudenter ſuccidebat odia, ſubnervabat invidiam, frangebat æmulationes, diſcutiebat competentias, ambitionem, & levitates animorum cæteras à ſubditis proſcribebat. Ad imitationem Traiani Imperatoris, natione quoque Hiſpani, erat amabilis ad populum, honorabilis in ſenatu, venerandus apud omnes, terribilis in hoſtes, in pretio, ac veneratione ubique, atque ex admiratione virtutum magis, quàm ex terrore gubernationis metuendus. Cauſas complanabat prudenter, cùm haberet conſtitutos in palatio, ac per omnes ditiones, qui inquirerent ſtudiosè, & erudirentur cautè, ac veriſſimè Regi referrent, quæ ſcire illum conveniebat. Nobilitatem colebat attentè: conſtitutos in aliquo munere juxta graduum, qualitatum, ac obſequiorum rationem circumſpectè. Non omittebat, ut perſpiceret, quo Idiomate loquerentur ſinguli, quibus moribus aſueſſent, cui muneri utiles forent. Habebat catalogum virorum Principum, quo repræſentabatur,quod genus cuiq;,quæ proſapiæ origo, quæ illius incrementa, aut inclinatio; unde honores ſingulorum,ac tituli; quo regnante inveſtiti fuerint poſſeſſionibus, quas habent; quæ merita præceſſerint; qui omnino extincti; qui aliis conjuncti; qui ab aliis oppreſſi, & ſilentio obvoluti. Conditione omnium ſpectatâ, admovebat excellentiores Proregum dignitatibus & legatio-

nibus primarijs, ac muneribus minùs per cæteros exequendis. Inde authoritas accrescebat personæ & experimentum indolis, ac splendor familiæ. Nec eruditorum immemor, procurabat nosse, quis profectus in literis, ac moribus Salmanticensium Academicorum, quod seminarium est summorum Hispaniæ dicasteriorum. Utebatur in eum finem operâ Ecclesiasticorum, regularium ac Prælatorum, qui de melioribus ac dignioribus accuratè se edocerent. Ex his habuit Marcum de Villalba Abbatem Collegii S. Bernardi Salmantini, quem postea ad Abbatiam Fiterensem in Navarra promovit; præbendæ huic admotum abs se potissimùm affirmans, eò quòd vera sibi semper edixisset: quamvis virtute, ac litteris clarus, pluribusque in ordine suo præfecturis cum laude obitis vir ille aliàs claruerit. Perspecta habebat nomina concurrentium ad officia, seu candidatorum: genus item, ac mores; non aliter, ac si per omnem vitam sibi convixissent; faciebatque notitiæ indicium in consultatione de singulis, in electione ad præfecturam judiciorum, reliquorumque politicorum munerum. Callebat singillatim civitatum per Hispaniam, omnemque monarchiam, nomina, maritimorum item portuum, atque ostiorum fluvialium seriem, redditGuum regiorum proventus, rationesque expensarum, quasi præsens universis adesset. Liberalissimus in benemeritos de corona, sic tamen erogabat; ut sibi familiares nun-

nunquam nimis attolleret, neque ultrà proportionem illustraret, aut officiis supra capacitatem obrueret. Aiebat; non omnes stomachos aptos esse majoribus fortunis digerendis; & immeritos, si supra conditionem ornentur magis corrumpi, quàm corpus si alimento minus apto perperam ingesto prægravetur. Pervidebat accuratè palatinorum suorum, & ministrorum genios, quo fine trahantur, quibus moribus vivant, quâ indole, quâ conditione præditi. Declinantem â primo obsequiorum fervore, vicissim remissione affectus regii castigabat, atque ita ad pristinam industriam, ac diligentiam revocabat. Definiebat limites, quousque intimi in aula progredi possent; eò eluctati jam retrocedere sciebantur. Solent nempe apud Principes gratiosi inde illicò deficere, unde proficere ultrà non valent. Emendavit propriâ manu privati arrogantiam, qui in competitorum numero erat repertus nomini suo præfixisse titulum donni: subscripsit quippe Rex; eâ conditione admovendum muneri, si additamentum dimitteret, quod nec pater competitoris usurpaverat, ideoque minus filio competeret. Propositam habebat sæpiùs personam pro munere illustri, quam nihilominus prætcribat semper. Iterum præsentatam, atque inter candidatos primo loco, iterum promovere omiserat: tertiò tandem planè solam in catalogo collocatam â Consilio regio, cum commendatione adjectâ pru-

 dentiæ,

dentiæ, quæ favorem Philippi demereri posse videretur: subscripsit denique Philippus: proponatur alius; notam habeo hominis prudentiam. Nec sine causa tergiversabatur Rex. Habebat enim candidatus ille familiaritatem cum certa fæmina suspecta, quam & designaverat Rex scripto, addideratque ob id minimè fore unquam promovendum. Alia occasione vir Nobilis pro officio emineriti nominabatur: sæpius dissimulato assensu, tandem subdidit: concedo, si à lusu abstineat. Ab alio senatu commendabatur nonnemo pro beneficio pinguiore Ecclesiastico: nihil autem ad vota Philippus: donec multoties lacessitus respondit: si hunc in Episcopum promoverimus, quem suorum filiorum habebit in Episcopatu hæredem? simulque, ne ulteriùs nominaretur, effecit. Petierat pro pensione Ecclesiastica conferenda subjectum aptum, ac benemeritum à Comite Chinconij; & iste de pluribus unum proposuit, visum sibi præ cæteris digniorem: reposuit Rex: priùs scire volo, quid actum de filio, quem iste, dum collega Salmantinus esset, susceperat. Toleti libellum supplicem acceperat à fæmina illustri, quæ deponebat querelam adversus Canonicum loci, à quo fuerat per vim constuprata. Cognita veritate Rex per Sebastianum Fantoium mandavit ad monasterium ituræ dotem de ærario regio numerari. Non multò post Canonicus ille pro Episcopatu obtinendo præsentabatur:

tur: at presentari, inquit Philippus, eum oportebat pro officio paterno. Nominaverat pro Ecclesia Salmantina Præsulem Hieronymum Manrique de Lara virum exempli, atque eruditionis eximiæ; & subdidit. Præficimus Universitati Salmantinæ Episcopum, qui non modo Ecclesiam gubernet, sed etiam magisterio suo informet plures, qui ex ea Universitate ad Episcopatum cum dignitate promoveri possint. Postulabit sacerdos quispiam à Philippo licentiam, ut sibi liceret septingenta scuta in dotem filiæ ex redditibus legare: cui Philippus; sufficient centum pro filia presbyteri. Sapientissimæ mentis vasto complexu capiebat feliciter negotia quævis togæ, & sagi, privata, & publica, domi ac foris, absque eo, quod aliarum curarum gravitas incommodaret tenuioribus. In eum finem immotus inhærebat pulpito, unde opportunissima responsa, admonitiones, emendationes, discussiones, etiam probatissimorum scriptorum manu propriâ expediebat. Subjungebat inventiones, & artes opportunas nonnunquam detegendis, si quæ intervenire possent, fraudibus. Planè constat nunquam injustitiæ advertenter commissæ fuisse insimulatum. Ad omnia rectam intentionem, & desiderium bene operandi conferebat. Per varias indagines, & artes inter se dissimiles, ignotasque vulgo, procurabat accessum ad veritatem, quam habebat ubique in pretio, & honore. Consilio intelle-

ctûs, ac prudentiæ suæ id consecutus demum fuit Philippus, ut solus imperaret; adscitis inter proceres ad gubernandum administris, non item socijs adregnandum.

Intelligens in Indijs orientalibus urgente quinquenni fame multosGentilium in servitutem fuisse venditos; mandavit, ut qui Christianam fidem susciperent, emanciparentur; qui generosioris indolis essent adoptarentur in sodalitatem Ordinis à Christo nuncupati, certisque ex instituto Philippi insignibus ac privilegijs ornati. Ita providè, ac sapienter eas gentes aptabat Evangelio. Ab exordio suæ gubernationis legiones integras Religiosorum hominum ad conversionem, institutionemque earum gentium misit; qui viribus militaribus conjuncti, nationes Philippi imperio aggregatas Dei quoque jugo omnium maximè salutari adjungerent.

Sapienter, & circumspectè conferebat beneficia Ecclesiastica. Non patiebatur proponi ad Infulas Episcopales nisi à virtute conspicuos, laudatos à diligentia, bono exemplo, moderatione, & sufficientia ad munus obtinendum. Plus virtuti dabat, quàm sanguini. Quare, dum ipse viveret, literarum studia maximè fervebant: Nobilissimis quoque familiis ad eas condiscendas applicatis, inde honores ac spem præmiorum pro merito consecuturis. Vocabat ad prælaturas Ecclesiasticos minimè ambitiosos, qui sæpius allato nun-

cio

cio promotionum credebant sibi illudi. Joannes Fernandez Vadillo â cursore audiens nominatum se esse â Rege pro Episcopatu Cuençæ, cùm primo adhuc somno in lecto teneretur; non emovit se loco, nec ostium reclusit; sed chartam præsentationis per ostij rimam intrudi jussit, metuens fraudem fortè subesse. Peritiores Philippum nuncupabant *Consilium majus*: eo quòd Regis prudentia superexcelleret reliquorum senatuum expectationes. Erant illis adscripti viri eruditissimi, & defœcato judicio præstantes: Rex tamen anteibat omnes distributione opportuna negotiorum, observatione rerum singulari, electione mediorum ad propositos fines ritè conducenti. Exhibebat palam eminentius ingenium, & vastam capacitatem respondentem regij muneris celsitudini. Vitam agebat inter curas, ac continuos ingenij motus, versatilis textrinæ in morem; in qua, ut ajebat ipse, per multiplicem filamentorum ordinem, necesse est textorem discurrere manibus, pedibus, ore, atque oculis indefessum. Fuitque certè mors Philippi, operosæ antea texturæ tela omnino præcisa. Dum viveret nunquam non erat negotiosus; manum scriptioni, pedes itineribus exercebat, cor in filamentorum plurimos ductus protendebatur. Alius procurrebat in Belgium, alius ductabatur in Italiam, in Africam alius; alius in Peruviam, in novam Hispaniam, ad Anglos Catholicos, ad aulas Christianorum

norum Principum, ad Imperij Romani fines digrediebatur. Ubique vigilantia aderat in promptu, discutiens quæ ratio gubernandi vigeat, quæ tempestas fortè cavenda. Si abrumpebatur in Indijs contextus, reponebat: si in Belgio incidebatur, restituebat: semper attentus negotijs, quamvis in tot partes animo distractus: semper præsentissimus sibi, ut etiam in fine vitæ promptissimè advocare mortem, nec perhorrescere, ut inopinam, ignotamque visus fuerit.

Erat eminentis prudentiæ vir, qui affirmavit Philippum ab arte gubernandi tantùm valere; ut si ad regnum per concursum cum sapientissimis quibuscunque vocaretur, & judices adstarent peritissimi in doctrina regnandi, prærepturus ipse unus competitoribus universis palmam, ac conclamandus in Regem sine ambiguitate ab omnibus foret.

Claruit Philippus dictorum, & factorum illustrium copiâ insigni. Venerat ad alloquium vir nobilis ab altera chirotecarum retenta non denudatâ manu. Jam dictionem absolverat; cùm Philippus; dimitte inquit alteram à manu chirothecam, & cras ad alloquium redi. Profectus ab urbe observaverat imparem in agro spicarum luxuriem; alias videlicet celsiores, uberioresque; demissiores, tristioresque alias: causam à Didaco de Corduba percontatus, ubi audijt lætioris segetis originem ab affusa pinguiore humo derivari

vari; simplicem, ait, rusticum! qui per totum agrum non utitur hoc adminiculo. Rogatus à morione per aulam gratioso; cur singulis opem implorantibus, non æquè singulis opem ferret? quia, inquit, si adessem singulis, non multò post ego quoque indigerem. Ut motus Arragonicos plenè componeret, constituit Tarracone sedem regiam figere, eóque se, quamvis ægrum deferri voluit: disuadebant iter medici: at Philippus: officio meo fungar, quamvis in hoc itinere defungar. Non ferebat de absente in colloquijs malè dici: aiebat; non esse bonum, qui deteriorari nequeat, nec improbum, qui meliorari non possit. Querebatur Corduba, quod passim per officinas viderit Philippi imagines, sed imperitè laboratas; videri sibi conveniens, ut celebrior à fama picturæ, ut erat tùm Alphonsus Sanchez, aut alius constitueretur, cui soli licitum foret Regem in picturam conijcere: Etiam Alexandrum magnum noluisse ab alio effigiari, præterquam ab Apelle, qui coloribus, & Lysippo, qui scalpro dabat operam. Cui Philippus: Quisque suâ operâ panem mercetur; ne exinde pejùs actiones nostras depingant, quàm vultum. Affirmabat felici negotiorum expeditioni conducere, si priùs attentâ consideratione ponderentur: item, non stomachum quemque digerendis quibuscunque fortunis aptum: dividi item fortunas bifariam, in prosperas, & adversas; in prospe-

ris modestiâ, in adversis animi temperie opus esse.

Obiens regionem Tolosanam observabat sumptuosas ædes, & ad voluptatem omnem comparatas: ubi quorum eæ essent, interrogasset, audissetque cujusdam de secretarijs suis esse, addidit: ô caveam avicula grandiorem! Audiere dicentem, quod si ipse Rex non esset, non ambiret ducis aut comitis, aut marchionis dignitate fungi: potiùs curaturum, ut de vulgari nobilitate censeretur; qui tamen annuos octo millium scutorum redditus possideret: ita exemptum fore molestijs, & obligationibus, quæ titulos magnatum & Grandiū consequuntur. Destinaverat interesse solenitati cuipiam in tempore; proinde tantisper indormiturus, â Cordubensi mox ut suscitaretur, monuit. At Corduba in scamno assidens, & ipse indormijt. Experrectus Philippus soporatum etiamnum Cordubam compellat: Placeat Majestati Vestræ expergisci, tempus monet. Sed & Corduba, permitte ut porro dormiam, necdum hora advenit. Dum adolescentior & adhuc Princeps Ilibérorum, per Flandriam Ruscinonem excurreret, adito Perpiniani castro, etiam invitatus fuit Helnam. Adventantem grandioribus in lætitiæ signum æneis fistulis incolæ exceperunt; sed tristi casu factâ dispositione convulsi lateres ad portam de stipatoribus Principis unum in capite graviter læsum prostraverunt. Philippus modesta jam

ſtâ jam tum, & gravi indole præditus, ſat tem-
peſtivè, inquit, nos experitur regio; juſſitque
tolli in humeros vulneratum, atque ad medicum
deferri toto ſemeſtri vix curandum. Cœteris
partim attonitis, partim indignantibus ſtetit unus
ipſe ſine metu, & ſenſu. Digreſſus Illibero cum
claſſe biduò inter adverſos ventos fluctuabat.
Appellere jam parabant nautæ, niſi Philippus ad
promovendum curſum animaſſet: perſiſtite, in-
quiebat; nam laſſabitur hoſtis. Nec multò poſt
impulſu Principis ac remorum evaſere procel-
lam.

Conſilia privatorum quoque utilitatibus di-
ctabat accomoda: Inter quæ illud, quo fortunæ
eorum conſulebat, qui ab obſequijs erant. Nem-
pe: ne adſtarent Principi cum faſtidio: ſolum ſibi
aliquando relinquerent, præſertim volentem:
pari cum reverentia in omnibus ſe gererent: mu-
nus impoſitum ſincerè, & promptè, atque ad nu-
tum Domini exequerentur: negotia præmedita-
ta, & digeſta proponerent, dimiſſis ambagibus:
quæ videbuntur opportuna ac neceſſaria edice-
rent: quibus Princeps bene vellet, ne detrahe-
rent: arcanum, quod accepiſſent, haberent,
ab alijs manifeſtatum diſſimularent. poſtremi
omnino eſſent, qui ſuper eo differerent: malis ar-
tibus gratiam Principis ne quærerent: benefacien-
do ex inimicis amicos redderent, ſimul ingenij,
ac rectæ intentionis ita fidem probaturi: æmulos
Urba-

urbanitate prævenirent: dissensionibus ne locum facerent: etiam æmulorum notos, ac propinquos demererentur, ut occasio dissidiorum etiam remota caveatur: â comitatu grandiore abstinerent, cum adeunt, abeuntvè palatio: ne elegantiore apparatu se vestirent supra Principis, & aulæ consuetudinem: ut cum ex commissione principis aliquem reprehenderent, graviter, ac modestè loco, & tempori accomodarent delegatas functiones. Hæc sapientissimus Rex privatis Principum ad latus asseclis dabat documenta, penitissimè ediscenda: quibus omnibus præcellere in animis singulorum optabat affectum timoris Dei, rectæ intentionis, ac studij veritatis.

Excelsa morum gravitate,& auctoritate præsentiæ ab adolescentia enituit. Aliquando dum vestibus indueretur, ingressus fuerat conclave Cardinalis Tavera. Monuit Principem Præfectus, ut Cardinalem caput operire moneret; At Philippus tamdiu dissimulavit, dum caput prior ipse tectus; jam, inquit, ut tegas, licebit. Visus erat æmulari severitatem Philippi Regis Macedonum, & Sexti Aurelij, quem â pueritia nemo ridentem vidit, quibuscunque ad id stimulis urgeretur. Nec Philippo nisi summa oris compositio, ac modestia in usu fuit.

Testatus est Joannes de Velasco Regis cubicularius, totos viginti quatuor annos, quibus Philippo inservijt, nec indignationis se vidisse gestum,

ſtum, nec inconcinnam vocem, in quam Rex aliquando prorupiſſet, audiſſe. Hæc vitæ & actionum moderatio ad obitum usque producta, illud quoque obtinuit à Philippo, quod nudari pro facienda anatome ſe prohibuerit, nec inducendæ poſt mortem interulæ ac veſtibus, alium applicari, præter Chriſtophorum de Mora mandaverit, volueritque plumbeo ſarcophago claudi, ne ad odorem præcavendum neceſſe foret regem exenterari. Nunquam juraſſe, nunquam lamentatum fuiſſe, nunquam injuriâ affeciſſe quenquam obſervarunt. Nemini ſignum offenſi animi ex vultu præbuit; quamvis ſeveriorem aliquando ſe præſtaret. Amantiſſimus veri; fictionum verò hoſtis capitalis fuit. Nemo notavit in Philippo cupiditatem, vel avaritiam: moderatiſſimus in cultu, ac veſtitu & victu vixit.

Colloquebatur in aula Madritenſi Philippo Joannes Auſtriacus ex progenitore frater: intervenerat colloquentibus filius Ferdinandus: cùm fortuito caſu impacto in adventantis adoleſcentuli oculum, & nares capulo ad ſanguinem læſus parvulus incautæ actionis reum Joannem acerbiſſimè torquebat. At Philippus, DEO gratiæ ſint, inquit, quod ſalvus oculus. Tùm Joannes etiamnum inconſolabilis: ſi iſtud, inquit, eveniſſet, præcipitem è feneſtra me dediſſem: cui rurſum Philippus modeſtiſſimè: eccur iſtud? meri infortunii caſus fuiſſet. Qui in fidem, & ſinceri-

tatem

tatem peccaverat, poterat jam de veniâ desperare. Priusquam expediret sententiam, curabat de veritate ad unguem reddi certior. Deprehensum è proceribus quendam, quòd mendacio se interrogatus circumvenisset, severè increpuit. Itane, inquit, mihi in faciem? Suffecit hoc fulmen, quo miser è vivis proximè pelleretur. Sed & cubicularius Philippo è multis charior, itidem in mendacio deprehensus gratiâ simul, ac vitâ digressus â conclavi subitò excidit. Aiebat: ministrum mendacem & perjurum esse, tantoque atrocius delinquere, quantò lateri magis appropinquat.

Majestati tantæ miro vinculo adstricta consociabatur humilitas. In Escuriali locum habitationi suæ designaverat ambulacrum inferius, cui incumbebat aula, quam cursu, & recursu, cantu item, ac sedilium ultrò citroque deportatorum motu inquietabant religiosi incolæ. Animadverso demum errore deprecabantur molestiam quam diu noctuque Philippo creassent. At ille; molestiam sensi equidem, sed patienter me ferre oportuit, qui dignus non sum subire vel pavimentum, quod calcant servi DEI. Decumbebat ibi sub seram noctem; & sub quartam matutinam erigebat se strato: Ad primum missæ sacrificium, quod procurabant ante auroram instituti â rege ibidem in seminario adolescentes, non abhorrebat excitari: ratus cantum Angelorum supple-

ſuppleri per hos in terris: quorum officium, ne quietem interturbarent, quamvis cogitaverint aliqui differre, noluit tamen ullo tempore impediri.

Cæſarauguſtæ moratus die cinerum, non permiſit capiti ſuo cineres de more affundi, donec Eccleſiaſtici omnes, etiam non-ſacerdotes eſſent inſperſi: tùm ſingulari cum corporis compoſitione ad infimum gradum altaris proceſſit, cætero vulgo communem, nec tapetem, nec pulvillum ſubſterni genibus paſſus. Miniſtros Eccleſiæ, & Sacerdotes reverentiſſimè colebat. Intelligens ſubortam fuiſſe litem, inter proregem Valentiæ & loci Archiepiſcopum ſuper pace accipienda tempore divini ſacrificii: Quin etiam ex mandato regii ſenatus decretum fuiſſe, ut Proregi perſonam Philippi repræſentanti primæ deferrentur, quod ſimiliter in novo orbe ſancitum ferebatur: Præſens itaque ipſe anno 1585. Valentiæ, cum pax ab altari primùm ſibi deferretur: abi, inquit ad officiantem, & primùm Archiepiſcopo defer, tùm redi, & pacem offer. Ædificationis publicæ momentum ſingulare proſecutus eſt populus cum acclamatione univerſali; una voce inſonantibus in templo cunctis, Vivat Rex, Vivat pietas regia, vivat annos æternos magnus monarcha. Intraverat ſtipatus ingenti mendicabulorum coronâ Valiſſoleti palatium devotus quidam Religioſus ex Ordine S. Dominici, Hieronymus

nymus Vallei. Jamque eluctatus in ſcalas rectà ad conclave Philippi ferebatur, cùm obvius Regis Archiater improbat factum, quòd ejuſmodi genus hominum arcendum â regiâ videretur; poſſe ex affatu, & afflatu eorum corrumpi valetudinem Principum, quos cautè conſervari bono publico opus ſit. Reſpondit Hieronymus: non arbitror in aula Chriſtiani Principis, ac primùm Philippi Regis Chriſtianiſſimi promulgari leges DEO adverſas poſſe, quibus indigentiæ pauperum non ultra aditus pateat. Proto-medicus & facto & dicto Hieronymi incitatior regem adit, atque de inſolentia, ut putabat, queritur. At, Philippus; rectè inquit Hieronymus & fecit, & dixit, evocatoque ad ſe Religioſo, in comitatu pauperculi unius de pluribus, audiјt ſupplices: juſſitque puero mendico adſtanti largam erogari Eleemoſynam, atque hanc per manus Philippi filij conferri. Evocabatur in Patronum, ac defenſorem Ligæ Catholicæ in Francia conſtitutæ Philippus Anno 1585. Non acquievit poſtulato ex innata ſibi â teneris modeſtia: quamvis ut aurem præberet, Papa, & Principes plurimi vehementiùs inſtarent. Mortuo deinde Henrico III. Cognato, Pariſienſe Parlamentum decreto novo, â conſilio ſtatûs approbato Philippum II. protectorem Catholicæ religionis primarium, & Zelatorem incolumitatis regni Galliæ conſalutavit: nempe quem experti nuper fuerant regnante Carolo no-

no &

no & Henrico tertio adversus hæreticos, & schismaticos pro Catholica fide conservanda multiplices cum felici eventu suppetias tulisse. Ac tum denique Philippus magno Galliæ & Religionis emolumento protectionis oblatum munus suscepit.

Nec habuit, nec desideravit rerum abs se gestarum historiæ scriptorem. Qui tùm scribebat, Ambrosius de Morales, regni historicus, non regis fuit, Fortuitò sacristiam in Escuriali cum Philippo filio ingressus in sacerdotem incidit, qui sacro ad missam celebrandam apparatu se induebat: mandavit illicò ire filium & juvare assumentem indumenta, & aptare albam vestem decenter ad talos. Statim Princeps accinctus operi adfuit, sed pileo caput coopertus: cum Rex: an intelligis fili, quid agas? Et iste nudato confestim capite pulchrâ cum decentiâ, ac demissione officium prosequi perrexit. Cum è sacrario sacerdos ad altare procederet canitiem suam venerandam nudabat Philippus, præstito rursus eodem signo reverentiæ cum ab altari recederet. Rationem facti posterioris rogantibus aulicis, affirmavit: in sacerdote ad sacrarium revertente venerari se reliquiarium, ac lipsanothecam corporis, ac sanguinis Christi, cujus species Sacramentales adhuc intra pectus sacrificantis durarent. Tarraconem profectus festo die, ut equum, cui solea exciderat reparare liceret prosequen-

ſequendo itineri, ad ſuperiorem Eccleſiaſticum pro licentia miſit, ſummo Chiſtianæ in leges Eccleſiaſticas obſervantiæ documento. Erat Compluti cùm Canonizationis B. Didaci ſolemnitas, anno 1589. ex ejus mandato ad diem octavam menſis. Aprilis impoſterum celebranda ageretur. *Deſtinata* feſtivitati dies Dominicæ videbatur populo, qui concurrerat innumerabili, factura periculum miſſæ eo die non audiendæ. Itaque conſultiùs Philippo viſum, ut in poſterum diem ſupplicatio indicta differretur. Probaſſe conſilium Superos patuit. Nam ipsâ Dominicâ, horâ ſub meridiem alterâ adfuit curſor, qui ipſum altare attulit, in quo feſtum Canonizationis egerat Pontifex Romæ ad S. Petrum, quod regiæ pietati idem Pontifex dono mittebat; unà cum vexillo amplo, cui effigies ſancti, & Papæ, ac Regis inſignia, & arma depicta inerant: opportunum omninò ornamentum ad condecorandam in craſtinum proceſſionem.

Fidei proferendæ, ac propugnandæ fervor, item versùs Apoſtolicam ſedem reverentia, ac ſubmiſſio erat in Philippo ſingularis. Adſtitit Valiſoleti anno 1559. actui Inquiſitionis inſtitutæ adverſus errores & venena Cazallæ per regnum gliſcentia: magno ibi cum ardore rem Catholicam tutatus fuit. Erant nonnulli nobiles graviter plectendi, pro quibus ex commiſeratione intercedebant potentiores aulici. At Rex intrepidus,
&

& piè severus; benè agitur inquit, cùm infectus veneno sanguis nobilis, igni admovetur, ut purificetur. Quodsi meus ipse in prole mea sanguis sic infectus deprehenderetur, primus ego illum in signē injicerem. Ex condemnatis æquè â prosapia, ac perduellione, & pertinacia hæretica famosior cæteris Carolus de Sessa Regem allocutus, fertur interrogasse, quî possit annuere, ut ipse comburatur? Reposuit Philippus: his humeris ligna comportarem propriò filio flammis absumendo, si malitiosus æquè, ac tu foret. Obsequio matris Ecclesiæ in omni vita se totum dicaverat, ut & ipse sacrum vaticinium impleret: Erunt reges nutritii tui. Nunquam defuit locupletandæ, defendendæ, adjuvandæ, protegendæ, promovendæ. Consecutus in hoc gloriam Theodosij in Oriente, Caroli in Occidente, Hermenigildi ac Ferdinandi in Hispania, Odoardi in Anglia, Ludovici in Francia, Henrici in Saxonia, Wenceslai in Bohemia, Leopoldi in Austria, & Stephani in Hungaria, ac Josaphati in Indiis. Fulciebantur in Philippo curæ novem summorum Pontificum per annos quadraginta duos, senatûs quoque eminentissimi Cardinalium negotia maxima. Ad illum in ærumnis confugiebant Respublicæ in Italia: Ejus protectioni se debebant, suamque tranquillitatem Principes ejusdemmet regionis: Ejus ope, & consilio confirmabantur Proceres, & Toparchæ Germaniæ: De ejus favore certus fiden-

ter expeditiones, & victorias adversus Turcam promovebat Imperator: Ipsi â finibus orbis Christiani Persæ, cæterique Principes sperabant, obtinebantque suppetias rebus suis adversus communem hostem protegendis. Pontificem reverebatur Philippus, ut Ecclesiæ patrem, ac Principem, Christique in terris vicarium, animarum gubernatorem, pastorem summum. Vicissim Pontifices colebant Philippum, ut anchoram pacis publicæ, & pretiosum Ecclesiæ unionem: quo elogio regem honoraverat Pius quintus, cum se sancto fœderi adversus Turcam adscripsisset. Gregorius XV. Pii Successor, pro salute, & incolumitate Philippi publicas Romæ supplicationes indixit: memorabilia, quæ sequuntur, in consistorio de rege prolocutus; vivendo Ecclesiæ Dei Ego ultra prodesse non possum: mortuo mihi facile substituetis meliorem alterum: pro incolumitate Regis Hispaniarum orate, quia universæ Chistianitati ipse perquam necessarius existit. Fuit pretiosissimus fidei adamas Philippus, fuit murus in expugnabilis Christianæ Religionis, fuit zelator insignis divini honoris. Opposuit arma Turcarum Imperatori; ejus copias in orientalibus partibus profligavit; Equites Melitenses ab obsidione liberavit; pro tutandis Hungariæ finibus militem expedivit; protexit Catholicos in Francia; opposuit se furiis Angliæ, quamvis impari cum felicitate, pari tamen gloria; occultis DEI judiciis interdum

dum sibi gratos exercente adversis, & hostes prosperis donante. Etiam Josias Rex Judææ sanctissimus â Rege Ægyti prælio, & vita exutus mansit: Et Ludovicus Rex Galliæ in expeditione terræ sanctæ, multis jam auctus ex ea triumphis captus tandem â Mauris fuit. Philippus II. Rex Catholicus inter prospera & adversa felix imperavit; per illa inimicos contudit, per hæc seipso gloriosior triumphavit. Ad illius patrocinium confluebant viri Ecclesiastici ex toto mundo. Episcopi Armeni, Anglicani, Hiberni, Græci: singulis pronissimo affectu locupletandis & tutandis aderat. Pari munificentia prosequebatur Catholicos quosque, quos Religionis amantiores experiebatur, & qui â patria & fortunis suis exules, aut peregrini ad communem pietatis Christianæ aram, Regem Hispaniæ accedebant. Pastoris & Patris in morem filios Ecclesiæ, & oves Christi sibi amantissimas colligebat, refocillabat, fovebat. Eosdem per septentrionem, & ditionum suarum vasta spatia oberrantes, & sedibus propter avitam fidem pulsos passim constitutis per Provincias Eleemosynis juvabat, & transeuntes ad sua castra cœteris ducibus, ac militibus præponebat.

Desiderium, quod habuit proferendæ longè, lateque Catholicæ religionis, fuit flammantissimum. Observaverant Consiliarii Status Indici, Philippinas Insulas parum prodesse regio patrimonio locupletando, absumere plus curarum &

 gentium,

gentium, quæ necessariæ conservationi Monarchiæ alibi commodius impenderentur: itaque proposuêre Regi eas Insulas numero equidem quamplurimas, sed defensioni incommodas, deseri oportere. Respondit Philippus; modò prædictæ Insulæ ac nova Hispania unico alendo eremitorio, unde Christi fides propagari possit, sufficiant, non dimissurum se illas unquam; ne qua pars mundi orientalis relinquatur expers à radio lucis Christianæ, & divini nominis. Regum intentionem in protendendis finibus non debere spectare auri, argentique fodinas, sed dilatationem Evangelii: Quinimò Prædicationis cæptæ consilia auro & argento promovenda esse, ut multiplicatis illic veræ fidei cultoribus, suppleatur numerus ab ea deficientium in septentrione. Venerat Comes Egmondanus à Flandria libertatem Conscientiæ pro ea gente exoraturus: at Rex cordatè & liberrimè replicuit; potiùs se dimissurum Regis titulum, quam permissurum hæresim in sua ditione.

Superstitiosæ eventuum fortuitorum observationi admodum inimicus fuit. Ut eas ab animis suorum evelleret, proficiscebatur peregrè iis diebus frequentiùs, quos vana superstitio pro nefastis vulgò habebat. E quibus cùm diem martis alii reformidarent ut ominosum, nihil eo die quod occurrere poterat agendum dimittebat. Etiam Ulyssipone anno 1583. Philippo filio eo die homagium

magium præstari voluit: cumq; anno 1578. idem sibi Princeps natus esset, ea ipsa luce par tripudium præsetulit, indixitque, atque si Dominico, vel Jovis editus fuisset: matrimonium quoque cum Maria Regina eo die inijt. Econtra quidquid superstitionem, adversam Religioni Christianæ, oleret, summè detestabatur. Decumbebat â podagrâ frequentiùs: huic curandæ Dux Nasseræ â Valentia submiserat Pachetem Arabem, mira adminiculo herbarum medicantem: At Philippus intelligens hunc Arabem insimulatum fuisse dæmonis ad perquirendas herbas adjutoris, & familiaris, atque ob id inquisitioni subjectum, adduci nunquam potuit, ut curæ eum suæ admoveret; quamvis universa, quæ cæteris applicabat, oculis ipse inspiceret, & spes certa mali levandi promitteretur: quippe aiebat: non cupio per malas artes quæsitam salutem.

Magnum Regem in vita, Christianum insignem in morte repræsentavit. Multis morbis, ac doloribus singulari cum patientia per vitam exantlatis, atque hos inter longæuis podagræ cruciatibus exercitatus fuit. Totum illa corpus perrepsit, ea cum carnis, ac nervorum convulsione, ut neque admoveri tenuissimos pannos sit sæpe passa, nec non singulariter affici delicatam complexionem oportuerit. Non fuit tamen audire lamentantem, non impatientem, non molestum inservientibus: quinimo solari eorundem de sua molestia afflictionem,

Deum identidem laudare, & divinæ se volunta[s] conformare. Erat sanè istud agere gloriosiùs ali[-] quid reportatis è bello victorijs, ditionibus in po[-] testatē redactis, regnis monarchiæ additis, aut pa[-] ri cum Alexandro fortunâ mundo sibi subjugato. Quis dicendo pro dignitate exequatur fortitudi[-] nē, ac constantiam, quâ vultu immoto, ne suspirans quidem, incisionem alterius genu admisit, & to- leravit? Ægritudine confectus, & fractus lan- guoribus, non lachrymam misit, non significatio- nem edidit sensus perculsi; leniendo duntaxat dolori postulavit, ut confessarius elatâ voce Do- minicæ passionis ex Evangelista Matthæo histo- riam legeret, signanterque verbis insisteret, quibus in horto Getsemani usus erat Salvator: non mea, sed tua voluntas fiat. Expertus ab hoc consilio, & facto cœleste præmium, & conversus mox ad Confessarium profunda cum demissione monuit, ut gratias Deo referret: suppressâ lætitiæ causâ, ne in animis circumstantium aliqua sui existimatio proveniret; ita gloriam, quâ apud Deum fuerat illustris Christianæ demissionis velo obtegens, ex ea virtute cæterarum basi, imo coronamento im- pulsus.

Animi magnitudinem, ac robur singulare mo- riens explicuit. Pluribus ante mortem diebus de imminente obitu factus certior, nullo metu, aut tristitia, sed festivo, ac gaudenti obtutu nuncium accepit. Mox ad complectendum amicum ho-

spitem

ſpitem pro dignitate ſe comparaturus expiationem conſcientiæ quàm diligentiſſimam & frequentem præmiſit. Diebus quinquagenis eodem ſitu ſupinus ſtrato incubuit, virium lapſu, ac vi dolorum mutationem, & innovationem loci prohibentibus. Unum tunc Regis deſideriū audiebatur, ut fiat DEI voluntas; una hæc cogitatio, ad bonam mortem comparatio. Accidit, ut è cubicularijs quidam lætior, nunciaret; judicio medicorum ex eo morbo Philippum adhuc biennio, ſuperſtitem fore. At Rex nihil ad iſta animadvertens; cum mortuus, inquit, fuero, imaginem Deiparæ, quam videtis, quondam meæ matris donum, quam ego quinquaginta ſex annis mecum de collo circumtuli, filiæ meæ date. Intentus in finem vitæ piè decurrendum, quæ ad eum facerent, quidque deinde ſuo corpori præſtandum, ſapienter, ac providè præordinavit. Collo meo, inquiebat, cruculam ligneam pendulam â filo appendite, ut pectori inſiſtat. Mori volo crucifixum tenens manu, quocum mortem obijt Carolus Imperator progenitor meus. Adſunt ibi binæ candelæ ad aram Divæ Virginis de Monteſerrato benedictæ, unam de ijs habete in promptu, præſentandam cum opus fuerit. Sarcophagum, & ſepulturam ratione, quam edico, inſtruetis. Agens ſuper negotijs animæ cum confeſſario, Pater, ajebat, DEI apud me vices agis: promitto tibi, præſtiturum me ſingula, quæ ſuggeſſeris, ſaluti

luti meæ opportuna: per te stabit, si quidquam necessariorum abs me omittetur: ad universa paratum habes. Voluit ut Philippus filius adesset, cùm extremâ unctione erat inungendus. Hac expedita subdidit: Petij, ut interesses præsens huic functioni: ut inspicias, quo res humanæ fine terminentur. Tùm solicitè inculcavit, & iteratò commonuit, ut cordi unicè haberet Religionem Christianam, defensionem fidei, & curam justitiæ: ut conatus omnes per tempus vivendi, ac regnandi eò dirigeret; ut cum ipse quoque mortis articulo appropinquaverit, securum in conscientia se experiatur.

Mandavit subinde, ut vulnera nudarentur, quæ ex morbi, & curationum tractu acceperat. Ea filio commonstrans: ecce, inquit fili, quomodo â mundo, & tempore Reges tractentur, ecce, quàm pariformiter ad cæteros homines mundi capita miserijs subjaceant! Vide, quàm severè, sed justè defectus meos, per quos minùs ut oportuit, Deo servivi, ipse in me nunc vindicet: nec adhuc scio, quid in futurum mecum disponat. Hinc velim, ut concludas, quid futurum sit ijs, qui DEO negligentiùs parent: Tùm Christi de cruce pendentis effigiem, & flagellum sanguine cruentatum protulit; &, hoc signo, inquit, manus obarmatus diem obijt Carolus Imperator, Avus tuus, ut nunc ego Rex Catholicus; hoc idem in pignus salutis assumo, dum morior; non aliter ages Fili, & reveren-

verenter ut decet, ſemper habebis imaginem Chriſti Salvatoris: ita exemplo tibi Carolus & ego præivimus : meritum tibi nobiſcum commune exinde ſpera. Sanguis huic flagello aſperſus, non eſt meus, ſed Caroli Imperatoris, ac Domini mei. Tibi hunc aſſervavi, ut memineris, nos præ cæteris indigere, ut ſimili modo ſanguinem fundamus. Accipe donum & pretioſarum reliquiarum loco conſerva, atque in pretio habe. DEO conjunctus vive ; à quo tibi benedictionem opto, quam paternè, & ego impertior. Simul benedictione amanter impertitâ Philippum dimiſit, nec ultrà vidit.

Moriens cereum benedictum Deiparæ Monſerratenſis dexterâ tenuit; tam arctè complexus, ut mortuo vix potuerit eripi. Diebus, quibus quinquagenis decubuit, decies, & quater ſacro epulo refectus fuit. Converſatio ſub id tempus omnis de morte. Capi menſuram juſſit feretri, quo elatus fuit Carolus; quo item amictu involutum ſarcophago intulerint explorari, ut non diſſimili apparatu conderetur. Funebria ſibi alia inſtrui vetuit, quàm quæ religioſis conventüs ſancti Laurentij impenduntur. Mortem Regis omnis Chriſtianitas luxit. Eâ Romam perlatâ convocavit ſacrum Collegium Clemens VIII. & quæ ſequuntur in conſiſtorio edixit : Si aliquando nacta fuit DEI Eccleſia cauſam luctûs, & moeroris, nunc certè â morte Philippi II. retulit copioſam.

Amiſit

Amisit defensorem ipsa eximium, & ejus hostis adversarium potentem. Omnis Philippi vita perenne bellum in hæreses, & sectarios fuit. Duæ res consolationi sunt: Altera, quòd diem supremum obierit cum admiranda sui in divinam voluntatem resignatione, conjunctâ inexplicabili patientiæ in doloribus, & immutabili in officia Religionis affectui: Quare præmium immortalis gloriæ jam esse consecutum confido. Altera verò est, quòd filium nobis reliquerit, natum in spes maximas; qui non modò de se successionem, sed & reviviscentiam Patris polliceatur.

O. A. M. D. G.



Emen-

Emendanda.

Pag 2. *lineâ* 3. *munerisq;*
p. 3. *l*. 20. *hominibus*.
p. 20. *l*. 9. *volubilitatem*.
p. 28. *l*. 11. *exercitus*.
l. 26. *abstemios*.
p. 29. *l*. 11. *illicitam*.
p. 35. *l*. 5. *subsistet*.
l. 13. *legum*.
p. 58. *l*. 10. *Cyrus*.
p. 58. *l*. 20. *amabant*.
p. 71. *l*. 22. *atritas*.
p. 75. *l*. 14. *profectus*.
p. 76. *l*. 19. *fonte*.
p. 77. *l*. 6. *Majestatis*.
p. 78. *l*. 9. *Bela*.
p. 83. *l*. 25 *hebdomada*.
p. 88. *l*. 9. *fato*.
p. 110. *l*. 18. *confluxerant*.
p. 111. *l*. 2. *implorare*.
p. 117. *l*. 5 *abjectos*.
p. 120. *l*. 16. *applicuit*.
p. 122. *l*. 27. *facilitate*.
p. 145. *l*. 3. *Angliam*.
p. 168. *l*. 12. *In*.
p. 172. *l*. 7. *tergiversationem*.
l. 11. *quas*.
p. 178. *l*. 2. *affirmavit*.
p. 182. *l*. 13. *tùm*.
p. 185. *l*. 16. *fritilli*.
p. 225. *l*. 14. *inediam*.

Alios errores, si qui sunt, benignus lector corriget.

